LOGOGRAPHIS
QUI DICUNTUR
NUM HERODOTUS USUS ESSE
VIDEATUR.

Dissertatio Inauguralis

Quam

Ad Summos In Philosophia Honores

Ab Amplissimo

Philosophorum Marpurgensium Ordine

Rite Capessendos

Scripsit

Bernhardus Heil

Hersfeldensis.

Marpurgi Cattorum.

MDCCCLXXXIV.

Michaelo Rittero Stemmler

Avunculo Dilectissimo

Grati Animi Testem

Dicat

Hunc Libellum

Auctor.

Argumentum.

A.

Introductio.

Artem historiae conscribendae apud Graecos satis sero exstitisse iam antiquis temporibus non defuerunt qui cum admiratione animadverterent[1]; iure ut videtur. Nam cum alii populi, Aegyptii, Babylonii, Assyrii, Phoenices, Judaei iam multa per saecula historiae operam navavissent, Graeci Pisistrati demum aetate animos ad eam attendentes res gestas oratione soluta scribere coeperunt. Cuius rei causam recte investigavit Odofredus Muellerus[2], cum ideo Graecos historia tam diu abstinuisse putat, quod carmina epica tantopere coluissent eorumque multo magis quam aliae gentes cupidi atque studiosi fuissent. Ac primum inter eos historiarum scriptorem alii[3] testantur fuisse Cadmum Milesium, alii[4] Hecataeum, alii[5] Pherecydem Lerium; quae sententiarum varietas in re tam recondita tamque obscura non est cur nobis mira videatur. Tamen si quaerat ex me quispiam, quaenam earum meo iudicio rectissima existimanda sit, equidem, etsi multi dissentiunt, honore historiae primum scriptae dignissimum dicam Cadmum[6]. Hunc deinde via, quam primus ingressus est, multi multis locis secuti sunt, quorum nomina licet magnam partem temporum iniquitate oblivione sint obruta, tamen non omnia ita exstincta sunt, ut ea prorsus ignoremus. Namque cum Dionysius Halicarnassensis loco illo clarissimo[7], quo de vetustissimis Graecorum historicis verba facit, satis copiose de iis disserit multosque nominatim affert, tum alii scriptores veteres hic illic

---

[1]) cfr. Joseph. c. Ap. I, 2, p. 175, 17 (Bk.), imprimis haec: . . . πάντων δὲ νεωτάτη σχεδόν ἐστι παρ᾽ αὐτοῖς ἡ περὶ τοῦ συγγράφειν τὰς ἱστορίας ἐπιμέλεια.

[2]) Gr. Literaturg. I^3, p. 431 sqq.

[3]) Suid. s. v. Φερεκύδης Βάβυος. Plin. N. H. VII, 205. Joseph. l. l, 2. Strab. I, p. 18.

[4]) Suid. s. v. Ἑκαταῖος, συγγράφειν, ἱστορῆσαι.

[5]) Suid. s. v. Φερεκύδης Ἀθηναῖος.

[6]) cfr. infra p. ~~83~~. 50.

[7]) περὶ τοῦ Θουκυδ. χαρακτ. 5, p. 818.

de iis disputant. Atque Dionysius l. a. antiquissimos rerum Graecarum auctores memorat hos: Eugeonem Samium, Deiochum Proconnesium, Eudemum Parium, Democlem Pygelensem, Hecataeum Milesium, Acusilaum Argivum, Charonem Lampsacenum, Melesagoram Chalcedonium, Hellanicum Lesbium, Damasten Sigeum, Xenomedem Chium, Xanthum Lydium[1]). Simul vero describit, quomodo hi viri in historia scribenda versati sint, quid sibi proposuerint, quas res collegerint, quomodo eas disposuerint, qua ratione explanaverint, denique qua fuerint indole; quod testimonium eo maioris nobis est momenti, quo minora multorum illorum operum exstant fragmenta. Atque haec fere dicit Dionysius: Erant illi paene iisdem ingeniis similesque res sibi proposuerant enarrandas, cum alii res Graecorum, alii barbarorum memoriae prodebant easque non inter se coniunctas, sed ita discretas, ut singulis libris singulae gentes vel urbes tractarentur. Solebant autem ea, quae in unaquaque regione tradebantur sive hominum fama sive libris, qui in locis sacris aut profanis asservabantur, oculis omnium offerre, quicunque ea cognoscere tudebant, anxie caventes, ne quid ipsi adderent aut detraherent. In his etiam fabulae quaedam erant, quibus propter vetustatem fides habebatur, ac tales res, quales in scaena aguntur, quae nostrae aetatis hominibus ineptae et insulsae videntur. Oratione vero omnes fere eadem utuntur, dilucida, simplici[2]), pura, brevi, apta, recta; et inest scriptis eorum venustas quaedam maior minorve, quapropter adhuc vigent. — Haec rhetoris Halicarnassensis descriptio, quantum e fragmentis illorum scriptorum cognoscere possumus, admodum vera videtur.

---

[1]) In his duplicem seriem Dionysius statuit; altera, quae Melesagorae nomine finitur, complectitur πάνυ ἀρχαίους συγγραφέας, altera inde ab Hellanico usque ad Xanthum ὀλίγῳ πρεςβυτέρους τῶν Πελοποννησιακῶν καὶ μέχρι Θουκυδίδου παρεκτείναντας ἡλικίας; huic etiam Herodotus videtur ascribendus esse. — Ceterum aptum duco Dionysii verborum eam partem, quae ad quaestionem nostram maxime pertinet et saepissime infra nobis laudanda erit, huc statim apponere: ἀρχαῖοι μὲν οὖν συγγραφεῖς πολλοὶ καὶ κατὰ πολλοὺς τόπους ἐγένοντο πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου. ἐν οἷς ἐστιν Εὐγέων τε ὁ Σάμιος καὶ Δηίοχος ὁ Προκοννήσιος καὶ Εὔδημος ὁ Πάριος καὶ Δημοκλῆς ὁ Πυγελεὺς καὶ Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος ὅ τε Ἀργεῖος Ἀκουσίλαος καὶ ὁ Λαμψακηνὸς Χάρων καὶ ὁ Χαλκηδόνιος Μελησαγόρας. ὀλίγῳ δὲ πρεσβύτεροι τῶν Πελοποννησιακῶν καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας Ἑλλάνικός τε ὁ Λέσβιος καὶ Δαμάστης ὁ Σιγεὺς καὶ Ξενομήδης ὁ Χῖος καὶ Ξάνθος ὁ Λυδὸς καὶ ἄλλοι συχνοί.

[2]) cfr. Cic. de or. II, 12, 53.

Apparet igitur et Herodoti aetate et antea multa opera edita esse ad historiam pertinentia; nec minore cum studio etiam geographia colebatur, cum illis temporibus iidem viri simul in his duabus doctrinis studia ponere solerent. Hos viros recentiores homines docti uno nomine comprehendunt, quod est logographi[1], Creuzerum secuti, qui primus hac voce ita usus est; appellantur autem sic, ut rem paucis dicam, illi, qui Herodoto superiores vel aequales Graeca lingua (imprimis dialecto Jonica) atque oratione soluta geographiam et antiquissimam Graecorum historiam tractaverunt arte critica fere prorsus neglecta.

Jam oritur quaestio, quam hoc libello solvendam nobis proposuimus, num his logographis usus sit Herodotus. Quae quaestio quamvis saepe a viris doctis multifariam tacta sit, nusquam tamen ita disceptata est, ut res ad finem perducta esse videatur. Quapropter, cum eam accuratius explicare conabor quam adhuc factum est, me operam spero non frustra esse consumpturum; sed cum literis adhuc solummodo imbutus, nondum excultus ac perpolitus sim, rogo ut mihi ignoscatur, si iusto saepius quid offendam et a recta disserendi via insciens aberrem.

Ac priusquam in rem propositam accuratius inquiramus, pauca videntur praefanda esse. Primum quidem liquet cum hac quaestione, de qua sermo est, artissime cohaerere illam, quomodo Herodotus usus sit logographis; quin utraque ex altera tantopere pendet, ut neutra solvi possit, nisi alterius simul ratio habeatur. Praeterea etiam deliberandum erit, utrum omnes logographi Herodoto pro fontibus fuerint an non; nam facillime fieri potuit, ut alios inspiceret, alios sciens vel insciens negle-geret, quocirca, quod in unum vel paucos eorum cadit, nullo pacto statim in omnes licet transferre. — Deinde nobis in animo est ea via ac ratione progredi, ut prius perpendamus, quidnam in universum ex Herodoti libris per se spectatis de quaestione, quam soluturi sumus, colligi possit: num verisimile sit Herodotum ex aliis scriptoribus multa delibavisse sive ad geographiam perti-

[1]) De hoc vocabulo egerunt Creuzer, Die histor. Kunst der Griechen ed. sec. p. 150 sq 265. — O. Mueller l. l. p. 442. — W. Rogge, Die Logographen und Herodot (Literarhist. Taschenbuch ed. Prutz, 1847, p. 88 sqq. — Schroeder, De primordiis artis historicae apud Graecos et Romanos diss. (Jen. 1868) p. 12. — Classen in editione Thucid. I, p. 265.

nentia sive ad historiam. Hoc ubi paucis exposuerimus, transibimus ad examinandam rationem, quae inter Herodotum et singulos logographos intercedat; quod ita instituemus, ut primum in singulorum vitas et scripta paullo diligentius inquiramus, excussis et veterum testimoniis et sententiis recentiorum[1]), deinde fragmenta, si quae exstant, perlustrantes et Herodoti cum libris comparantes, quid de ratione eorum iudicandum sit, statuamus. Atque consentaneum est nos illos logographos primos tractaturos esse, qui ad quaestionem nostram perdifficilem et perobscuram plurimum valeant recte absolvendam h. e. quorum plurima ad nos pervenerint fragmenta; quam ob rem temporum ratio nobis erit neglegenda.

B.

Num Herodotus e logographis multa haurire potuerit.

Herodoti historias longe maximam partem ex iis fluxisse, quae ipse suis oculis viderat vel suis auribus audiverat, multis demonstrari potest argumentis. Quorum gravissima, ne longi simus, quam paucissimis hic afferemus.

1) Constat inter omnes Herodotum permulta itinera fecisse, quibus eum amplam rerum cognitionem sibi paravisse perspicuum est; atque quae iam antea scivit, his peregrinationibus accuratius cognovit, simul vero plurima ante ignota sciscitatus est primus; quod non minus pertinet ad res geographicas quam ad historicas[2]).

2) Qui ante Herodotum historiae vel geographiae operam navaverant, quantum e fragmentis eorum et testimoniis veterum elucet, tempora recentiora non attigerant nisi perquam breviter ac strictim; imprimis bella Persarum, quibus diligenter enarran-

---

1) Eorum logographorum, de quibus viri docti iam fusius egerunt, vitas et scripta quam paucissimis tractabimus, pluribus contra illorum, qui adhuc neglecti sunt.

2) Bene et commode dixit Steinius in editione scriptoris nostri, vol. I, p. XII: . . . Und doch hat er (Her.) die beste Zeit und Kraft seines Lebens den Wanderungen und Forschungen in fernen und nahen Ländern gewidmet; und die Ausbeute dieser Reisen an Anschauung und Geschichtskunde war, wie eine nähere Prüfung lehrt, der mühevoll vorbereitete Boden, auf dem das uns hinterlassene Werk gleichsam als die letzte, reifste und beste Frucht der ganzen Lebensarbeit ersprossen ist.

dis Herodotus maiorem historiarum partem tribuit, nemo eorum fusius exposuerat. Idem statuendum est de rebus Aegyptiacis neque secus se res habet, si geographiam spectamus; sed id quoniam in dubium vocatum est, nunc neglegendum et infra copiosius explicandum.

3) Plurimis locis Herodotus affert testes, e quibus auditione et fama aliquid compererit[1]), nusquam fere eos, quos exscripserit. Immo vero disertis verbis, quae alii iam tradiderint, negat se iteraturum esse[2]).

4) Exstant nonnulli loci, ubi Herodotus auctores aperte obiurgat vel tecte cavillari videtur, quos falsa et inepta memoriae prodidisse censet[3]); hos multis aliis locis eum secutum esse nominibus non citatis parum est verisimile, nedum verbo tenus eos exscripserit.

Quae cum ita sint, apparet multum abesse, ut Herodotum logographos compilavisse credibile sit; sed forsitan nobis obiciat quispiam nihilosecius eum nonnullis locis singula ex iis delibare potuisse. Quod re vera factum esse haud pauci viri docti contenderunt, imprimis de Hecataeo. Atqui haec sententia utrum recta sit an falsa, diiudicari nequit, nisi in singulos logographos inquirimus eorumque fragmenta diligenter comparamus cum Herodoto. Proinde iam ad hoc accedamus.

C.

De singulis logographis[4]).

§ 1.

De Hecataeo Milesio.

I.

De Hecataei Milesii vita et scriptis cum iam plurimi

---

[1]) I, 1 sq. 5, 20 sqq. 23 sq. 75. 87. 94 sq. cet. Praeterea summi momenti est II, 99, ubi tres narrationis fontes ab Herodoto enumerantur, ὄψις, ἱστορίη, γνώμη; ad primam referenda sunt ea, quae scriptor noster, ut recte explicat Baehrius (in Commentatione de vita et scriptis Herodoti § 8) a se ipso visa et conspecta rettulit, ad alteram, quae ex aliis sciscitando cognovit, ad tertiam, quae sua ipsius opinione ductus statuit. De scriptis autem Herodotus hoc quoque loco, quo uno fontes suos accuratius distinguit, prorsus tacet.

[2]) cfr. Herod. VI, 55.

[3]) Vide imprimis, quae infra p. 29 sqq. de Hecataeo disseremus.

[4]) Auctorum veterum de logographis testimonia primus paullo diligentius

viri[1]) docti magis minusve accurate disseruerint, totam hanc quaestionem hoc loco repetere et longum et supervacaneum est. Quamobrem satis habebimus ea breviter exposuisse, quae ab illis vel neglecta vel minus recte disputata esse videantur. Hoc enim ideo necesse est fieri, quod hac quaestione altera illa de ratione inter Herodotum et Hecataeum, quam nobis solvendam proposuimus, quasi fundamento quodam innititur.

Atque primum quidem plurimi eorum, qui de Hecataei vita adhuc verba fecerunt, Larcherum[2]) secuti eum natum esse sumpserunt anno 549 a. Chr. n.; sed hoc parum firmis argumentis niti iam pridem monuit Dahlmannus. Cui equidem plane assensus omnino ea sententia sum, ut et Hecataei et reliquorum logographorum vitas certis finibus circumscribi posse negem. Ea enim, quae ab antiquis scriptoribus[3]) his de rebus tradita sunt, tam

collegit atque disposuit G. J. Vossius, Tract. de historicis Graecis, p. 7 sqq. 439 sqq. (ed alt.); deinde recentiorum de logographis egerunt imprimis hi: Car. Mueller, Fragm. hist. Graec. I, p. IX. sqq. IV, p. 623 sqq. (quae fragmentorum collectio suppleta est a Stiehlio in Philol. VIII, p. 599 sqq.: Zu den Fragmenten der griech. Historiker). — Creuzer, Die histor. Kunst der Griechen (ed. alt. Leipz. 1845). Idem in „Wiener Jahrb.“ vol. 106 (1844), p. 17 sqq. — Rogge l. supra p. 3, n. 1. l. — Michael, De logographis, qui dicuntur, antiquissimis Graecorum historicis. Progr. gymn. Zittav. 1855. — Mure, A. crit. history of the laug. and liter. of ant. Grece IV. p. 132 sqq. (ed. sec.) — A. Schaefer, Abriss der Quellenkunde der griech. Gesch. p. 8 sqq. (ed. sec.)

De ratione, quae intercedit inter logographos et Herodotum, in universum disputarunt Dahlmaun, Herodot, aus seinem Buche sein Leben (Forschungen auf d. Gebiet d. alt. Gesch. II, 1, p. 113 sqq.) — Rawlinsonius in versione Herodoti Britann. vol. I, p. 30 sqq. — Baehrius in comment. de. Her. vita et scriptis § 8 (Her. ed B. vol IV², p. 433 sqq.) — Murius l. 1 p. 303 sqq.

Hos tot libros apud unumquemque logographorum laudare cum longum sit, satis habeo hoc loco semel attulisse.

[1]) Praeter libros in adnotatione antecedenti allatos cfr. Sevin, Recherches sur Hécatée, in Mémoires de l' académie des inscriptions VI (1729), p. 472 sqq. — Ukert, Untersuchungen über die Geographie des Hekataios und Damastes. Vimar. 1814. Geographie der Griechen und Roemer I, p. 69 sq. — Creuzer, Historicorum Graecor. antiquiss. fragmenta. Heidelb. 1806, p. 3 sqq. — Klausen, Hecataei Milesii fragmenta. Berol. 1830. — Westermann. in Paulyi Enc. R. II, p. 1083 sq. — Gutschmid, De rerum Aegyptiacarum scriptoribus Graecis (Phil. X, p. 531 e. q. s.) — Hollander, De Hecataei Milesii descriptione terrae quaestio critica. Diss. inaug. Bonnae 1861.

[2]) v. Larch, Histoire d' Hérod., trad. du Grec cet. (ed. alt.) t. VII, p 636 et 624. Larcherus ipse ex Sevinio pendere videtur, cfr. Sevin. l. a. p. 474.

[3]) imprimis a Suida, apud quem plurima esse, quae vel ex auctoribus parum fidis sumpta vel ipsius culpa corrupta sint, nemo ignoraverit, qui eum accuratius cognovit.

pauca sunt, ut, quando illi viri nati, quando mortui sint, ne coniecturis quidem nisi in universum eruere possimus. Et quamquam tanta penuria certorum testimoniorum exstet, tamen certos annos elicere velle non modo inutile, sed etiam periculosum mihi videtur. Exempli gratia affero Hecataeum nostrum. Hunc Larcherus sine ulla causa probabili natum esse contendit anno, quem supra diximus; atque omnes fere recentiores homines docti[1]) ei crediderunt argumentis eius non perpensis. Idem cadit in nonnullos alios logographos, ut infra videbimus: si qui vir doctus certum annum sumpsit, alii eum sequuntur, quasi res esset certissima et ab omni parte explorata. Itaque nos, ne scire videamur, quae scire nullo modo possumus, satis habeamus uniuscuiusque logographorum aetatem, quantum fieri poterit, in universum definire[2]). — Atque Hecataeum, quem Suidas (s. v.)[3]) dicit ca. ol. 65 floruisse, natum esse statuamus ca. ol. 45 i. e. intra annos 560 et 550; cui rationi nihil videtur obstare. Certe ille, cum Jonum seditio exoreretur, vir erat gravis et nobilis, quoniam, si aliter res se habuisset, nullo pacto tantum auctoritate valere potuisset, quantum eum apud Jones, imprimis Milesios, populares suos, valuisse videmus[4]). Praeterea coniectare licet eum paullo post bella Persarum mortuum esse videri.

[1]) Creuzerus, Klausenius, Muellerus, Michaelus.

[2]) cfr. quae in eandem sententiam disputavit de Wilamowitz-Möllendorf, Herm. XI, p. 292, ubi eos acriter impugnat, qui etiamsi certis testimoniis careant, tamen omnia cupiant enucleare: est hominum genus, qui utique certi quidpiam pronuntiari postulant, qui sententiae audacter prolatae confidunt, cum mendacii fortitudinem, subtilitatis modestiam esse capere non possint. — Etiam Dahlmannum video mecum consentire; nam l. a. p. 119, ubi de Charone verba facit, dicit haec: „Wenn es misslich ist, unbesehens Schriftsteller als Quellen anzuführen, bloss weil sie die älteren gewesen sind, so möchte man noch ernstlicher die schädliche Sitte abgethan wissen, dass den einzelnen Schriftstellern bestimmte Geburtsjahre angewiesen werden, ohne einen irgend genügenden Beweisgrund. Dergleichen geht dann als ausgemachte Wahrheit in die Handbücher über und auf einem schwankenden Rohre werden thurmhohe Folgerungen gebaut." Quae utinam homines docti in pectora animosque demitterent!

[3]) Ἑκαταῖος, Ἡγησάνδρου, Μιλήσιος, γέγονε κατὰ τοὺς Δαρείου χρόνους τοῦ μετὰ Καμβύσην βασιλεύσαντος, ὅτε καὶ Διονύσιος ἦν ὁ Μιλήσιος, ἐπὶ τῆς ξέ Ὀλυμπιάδος, ἱστοριογράφος. Ἡρόδοτος δὲ ὁ Ἀλικαρνασσεὺς ὠφέληται τούτου νεώτερος ὤν. καὶ ἦν ἀκουστὴς Πρωταγόρου (scr Πυθαγόρου) ὁ Ἑκαταῖος. Πρῶτος δὲ ἱστορίαν πεζῶς ἐξήνεγκε· συγγραφὴν δὲ Φερεκύδης· τὰ γὰρ Ἀκουσιλάου νοθεύεται. — Haec fere omnia ex Porphyrio fluxisse facile intelleges, cum inspexeris Suid. s. v. Φερεκύδης Βάβυος et s. v. Φερεκ. Ἀθηναῖος. Praeterea cfr. Rhodium in Mus. Rhen. XXXIII., p. 111, n. et quae infra adnotabimus p. 83 n. 7.

[4]) v. Her. V, 36. 125 sq. Diod. X, frg. 25,2.

De itineribus, quae procul dubio Hecataeus fecit, haec monemus. Klausenius ea inter annos 513 et 501 confecta esse censet h. e. inter Darei expeditionem Scythicam et defectionem Jonum, his potissimum argumentis nisus, quod ante annum 513 terrae et maria nimis infesta fuissent atque post annum 501 cum aetate provecta tum seditione popularium suorum Hecataeus impeditus esset, ne Persarum terras permigraret. Ego autem ut hoc concedo ita illud probare nequeo. Nam anno 513 logographus noster, si exiguum numerum sumimus, quadraginta fere annos erat natus; cui non mirum videatur ante id tempus eum multorum, quae suscepit, itinerum confecisse nullum? Certe Aegyptum, ubi eum versatum esse tradit Herodotus (II 143), mea quidem sententia iam Cambysae[1]) temporibus, quin etiam Amasi[2]) regnante obire potuit, etiamsi ea de re certa pronuntiare non liceat[3]). — Ceterum Klausenius ex Hecataei fragmentis colligit eum Iberiam, Liguriam, Italiam, Illyriam, Thraciam, Pontum, Libyam, Aegyptum, Asiam minorem, reliquas terras regni Persarum suis oculis vidisse; mihi vero confiteor hoc parum verisimile videri. Nam de terris longiore spatio ab Jonia distantibus, Iberia, Libya, Liguria, etiamsi ipse eas non attigerit, tamen satis multa e mercatoribus Jonicis, qui commercii causa eo navigabant, percontari et libro suo inserere potuit[4]).

Hic liber dividebatur in duas partes, quarum altera Europae, altera Asiae descriptionem continebat ita ut in notionem

[1]) cfr. Her. III, 139: Καμβύσεω τοῦ Κύρου στρατευομένου ἐπ' Αἴγυπτον ἄλλοι τε συχνοὶ ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀπίκοντο Ἑλλήνων, οἱ μέν, ὡς οἰκός, κατ' ἐμπορίην στρατευόμενοι, οἱ δέ τινες καὶ αὐτῆς τῆς χώρης θεηταί, τῶν ἦν καὶ Συλοσῶν ὁ Αἰάκεος κτλ.

[2]) cfr. Her. II, 178, ubi Amasis amicus fautorque Graecorum appellatur.

[3]) Wiedemannus in libro, qui inscribitur Geschichte Aegyptens von Psammetich I bis auf Alexander d. Gr., Leipzig 1880, p. 83 sqq. recte ex Her. II, 142 colligit Hecataeum utique inter annos 531 et 498 Aegyptum permigrasse oportere. At cur verisimillimum esse putet hoc post annum 525 factum esse, non video iustam causam.

[4]) Quae exibet Agatharch. De rubro mari p. 18: Τὰ μὲν πρὸς ἑσπέραν ἐξείργασται Λύκος τε καὶ Τίμαιος, τὰ δὲ πρὸς ἀνατολὰς Ἑκαταῖος καὶ Βάσιλις κτλ. etsi plerique, in quibus Muellerus (l. a. p. X, n. 2) ad nostrum Hecataeum retulerunt, tamen de alio dicta videntur. Nam omnes viri hoc loco laudati serioris aetatis sunt, cfr. Schneiderum in symbolis Joachimicis I, p. 236 sq. (Berol. 1880). — Heckerus (in Philol. V, p. 420) et Stiehlius (ibid. VIII, p. 591) magna cum probabilitate illum Hecataeum coniciunt intellegendum esse Hecataeum quendam Eretriensem, quem de rebus gestis Alexandri Magni libros edidisse constat.

Asiae etiam Aegyptus et Libya caderent[1]). Quo vero confinio Hecataeus Europam et Asiam distinxerit, hac de re viri docti adhuc inter se dissident. Ukertus[2]) enim primo illum Tanaim flumen pro fine illarum terrarum habuisse putavit, deinde autem Phasim, Klausenius[3]) contra et qui eum sequuntur Caucasum montem, Forbigerus[4]) Araxem et Caucasum, Hollanderus[5]) denique priorem Ukerti opinionem amplexus Tanaim. Atqui de Caucaso et Araxe propter locum illum Herodoteum, qui exstat IV, 45[6]), nullo modo cogitare licet; nam Hecataei, scriptoris gravissima auctoritate, quomodo ibi praetermitti potuerit sententia, equidem non video. Itaque aut Tanai aut Phasi Hecataeus pro confinio usus est; quorum uter praeferendus sit, mihi non est dubium. Videbimus enim Hecataeum ea sententia fuisse, ut et Nilum et Phasim ex Oceano putaret emanare[7]); idem censuerunt Pindarus, Aeschylus, Euripides, de Nilo etiam Sophocles et Democritus[8]). Itaque si reputaverimus hos eosdem viros Nilum et Phasim pro confiniis Libyae, Asiae, Europae habuisse locumque Herodoti modo laudatum contulerimus, quis iam dubitabit, quin Hecataeus et ipse Phasi Europam et Asiam, Nilo Asiam et Libyam finiverit?

[1]) Quam vulgaris haec orbis terrarum divisio illo tempore fuerit, inde apparet, quod eam praeter Hecataeum etiam Pherecydes Lerius (v. schol. Apoll. Rhod. IV, 1396), omnes fere poetae (cfr. infra n. 8), quin etiam Herodotus sequuntur.

[2]) Untersuch. cet. p. 45 sq. Geogr. I, p. 213 sqq.

[3]) l. l. p. 13. [4]) Handb. d. alten Geogr. I, p. 50.

[5]) l. l. p. 22 sq.

[6]) . . . . οὐδ' ἔχω συμβαλέσθαι ἐπ' ὅτευ μιῇ ἐούσῃ γῇ οὐνόματα τριφάσια κέεται ἐπωνυμίας ἔχοντα γυναικῶν. καὶ οὐρίσματα αὐτῇ Νεῖλός τε ὁ Αἰγύπτιος ποταμὸς ἐτέθη καὶ Φᾶσις ὁ Κόλχος (οἱ δὲ Τάναϊν ποταμὸν τὸν Μαιήτην καὶ πορθμήια τὰ Κιμμέρια λέγουσι), οὐδὲ τῶν διουρισάντων τὰ οὐνόματα πυθέσθαι, καὶ ὅθεν ἔθεντο τὰς ἐπωνυμίας.

[7]) v. infra p. 30.

[8]) Singulos locos, qui hoc testantur, diligenter collegit Ukertus l. a. Praeterea v. Forbig. l. l. II, p. 97, n. 15; cui coniectura iudicanti (ibid. n. 14) Aeschylo, ubi de Phasi verba faciat, alium fluvium ante oculos versari, qui olim Hypanis, nunc Kuban vocetur, non possum ascentiri. — Ceterum falsa illa opinio Phasin fluvium usque ad mare Caspium pertinere tantopere inveteraverat tamque diu valuit, ut etiam Eratosthenes et Artemidorus Ephesius non inutile putarent disertis verbis ostendere eum ex montibus Armeniis demitti, cfr. H. Berger, Die geograph. Fragm. des Eratosthenes (Leipz. 1880) p. 327 sqq. et Stiehle, Der Geograph Artemidoros von Ephesos (Philol. XI. p. 236). Similiter etiam exeunte saeculo quarto Euthymenes, qui Oceani meridionalis explorandi causa navigationem per columnas Herculis susceperat, Nilum ex Oceano defluere contendit cfr. Forbig. l. l. I, p. 151. — Denique cfr. Herod. IV, 37 sqq.; hic quoque Phasis pro fine terrarum usurpatur.

Concedo sane opinioni nostrae illud obstare, quod in fragmentis 164, 166, 168 Phanagoria urbs, Ixibatae, Issedones a Stephano ex Asiae descriptione commemorentur; sed praeterquam quod similia etiam Hollanderi sententiae obsunt, fragmenta 161 et 162 dico, quas difficultates multo violentius removere studet quam ut nobis persuadeat, illud facile fieri potuit, ut Stephanus tria, quae attuli, fragmenta indiligenter laudaret, id quod etiam paucis aliis locis factum esse videmus et hic eo magis accidere potuit, quia inde a Strabonis aetate Tanais vulgo finis Europae et Asiae perhibebatur.

Jam occurrit nobis quaestio illa toties agitata, utrum fragmenta, quae Hecataei sub nomine tradita sunt, ex vero et sincero eius libro geographico hausta sint necne. Qua de re quamquam a multis saepe summa cum diligentia disputatum est, tamen plane cumulateque absoluta mihi non videtur. Atque qui ultimus eam peculiari libro tractavit, Hollanderus, l. l. p. 23 quae antea disseruit hoc modo comprehendit: „Pauca quaedam fragmenta, ea vero omnia ad Aegyptum pertinentia, ab Hecataeo scripta esse nequeunt; reliqua cur ei abiudicentur nulla est causa, quorum si quae difficultates parant, eae facili negotio tolluntur; immo duo in eius aetatem quidem unice quadrant;“ et p. 29 censet „antiquissimae aetatis periodum fuisse atque ex Eratosthenis probabili iudicio ab Hecataeo scriptam; sola Aegyptiaca ab eius et nomine et tempore abiudicanda esse.“ Contra Muellerus l. a. p. XVI disputationem sic conclusit: „Videntur igitur Alexandrinorum aetate et genuina exstitisse et supposita Hecatai operis exempla. Priora temporum decursu aliquoties interpolata esse puto et ad praesentem tunc rerum statum et orbis terrarum cognitionem adaptata; verum posteriora praeter nomen cum Nostro nil commune habuisse ex Herodoto aliisque in fraudem hominum conscripta; Stephanum denique cum ipse Milesii opus vix inspexerit, plerumque quidem veri Hecataei testimonia afferre, interdum tamen ex auctoribus hausisse supposito operi addictis.“ — Gutschmidius denique commentatione, quam supra commemoravimus, operam dedit, ut Muellerum refelleret et omnia, quae servata essent, Hecataei fragmenta genuina esse demonstraret. — Quarum sententiarum cum nullam possimus amplecti, quam brevissime exponamus, quid nos hac de quaestione statuendum esse arbitremur.

Primum quidem omnes, qui adhuc hanc rem tetigerunt, in eo erravisse puto, quod pro explorato habent Callimachum ab Hecataeo totum opus geographicum, quod γῆς περίοδος inscribebatur, abiudicasse. Sed hoc non ita certum esse haud difficulter invenies, cum locos, quibus illa sententia nititur, paullo accuratius inspexeris. Legimus enim apud Athen. II, p. 70 haec: Ἑκαταῖος δ' ὁ Μιλήσιος ἐν Ἀσίας περιηγήσει, εἰ γνήσιον τοῦ συγγραφέως τὸ βιβλίον (Καλλίμαχος γὰρ Νησιώτου αὐτὸ ἀναγράφει), ὅστις οὖν ὁ ποιήσας, λέγει οὕτω κτλ. et ibidem IX, p. 410 E: ὡς καὶ Ἑκαταῖος δηλοῖ ἢ ὁ γεγραφὼς τὰς περιηγήσεις ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἐπιγραφομένῃ κτλ. Hinc facile effici cogique potest Callimachum non universam Hecataei descriptionem terrae, quae tunc ferebatur, pro spuria habuisse, sed solam Asiae descriptionem h. e. solum alterum librum illius scripti. Hic est cardo quidam totius quam instituimus quaestionis. Nam opinionem illam, quae mihi falsa videtur, nisi concepissent, neque Muellerum neque Hollanderum talia coniecturos fuisse arbitror, qualia apud eos invenimus. Sed iam explicandum nobis, cur tandem Callimachus alterum librum periodi Hecataei non esse putaverit. Mea sententia ideo, quod nonnulla ibi legit, quae ab eo scripta esse non poterant. Interpolationes igitur conicio suspicionem ei movisse[1]). Atqui duae exstant rationes, quas in iudicando libro interpolato sequi possumus: aut eum auctori, cuius sub nomine traditur, omnino abrogabimus, si nonnulla invenerimus, quae ab eo orta esse nequeunt, aut in universum eum auctori illi vindicabimus, singulas tantum partes, quo interpolationes insertas esse apparet, pro spuriis existimantes. Illud facile cognoveris levis minusque curiosi hominis esse, hoc diligentis et qui artis criticae sit peritus. Atque in ea re, de qua nos agimus, illud fecisse puto Callimachum, hoc Eratosthenem. Is enim Strabone[2]) teste in universum totam quae tum ferebatur Hecataei periodum genuinam iudicavit, fortasse eo potissimum commotus, quod non modo nonnullos locos descriptionis Asiae cum locis genealogiarum, quas Hecataei esse omnes consentiebant, congruere, sed etiam haud pauca nomina urbium Aegyptiacarum

---

[1]) Magna cum laetitia, cum haec iam pridem scripsissem, vidi hominem doctissimum in eandem sententiam incidisse, Welckerum dico. Cfr. eius „Kleine Schriften" I, p. 446, n.

[2]) I, p. 7: Ἐρατοσθένης φησὶ . . . τὸν Ἑκαταῖον καταλιπεῖν γράμμα πιστούμενον ἐκείνου εἶναι ἐκ τῆς ἄλλης αὐτοῦ γραφῆς.

illius propria esse, apud Herodotum aliosque non memorata, videbat[1]). Interpolationes autem, quas et ipsum eum animadvertisse certum est, tollere non operae pretium esse ei videbatur. Sed quales erant illae interpolationes? Huc refero, quae tradit Porphyrius apud Euseb. praep. evang. X, 3, p. 166 (B.): Ἡρόδοτος ἐν τῇ δευτέρᾳ πολλὰ Ἑκαταίου τοῦ Μιλησίου κατὰ λέξιν μετήνεγκεν ἐκ τῆς περιηγήσεως βραχέα παραποιήσας[2]), τὰ τοῦ Φοίνικος ὀρνέου καὶ περὶ τοῦ ποταμίου ἵππου καὶ τῆς θήρας τῶν κροκοδείλων; huc pertinent plurimi illorum locorum, quibus Hecataeum cum Herodoto paene verbo tenus consentire videmus[3]). Ex Herodoto igitur illae interpolationes haustae erant idque, si accuratius dicendum est, ex altero eius libro[4]); pertinebant vero non ad res geographicas, sed ad descriptiones quorundam animalium, ad victum moresque Aegyptiorum, cetera id genus. Atque iam ante Callimachum vero Hecataeo insertae erant. Ille cur ipsi Nesiotae alterum librum periodi adscripserit, certo cognoscere non possumus; fortasse is paullo post Herodotum fuit et talia opera ex Herodoto aliisque compilavisse ferebatur. Denique illud moneo solam eam partem periodi illo modo interpolatam videri, quae de Aegypto erat; quare apud Arrianum exp. Alex. V, 6,5 legimus haec: Αἴγυπτον Ἡρόδοτός τε καὶ Ἑκαταῖος οἱ λογοποιοί ἢ εἰ δή του ἄλλου ἢ Ἑκαταίου ἐστὶ τὰ ἀμφὶ τῇ γῇ τῇ Αἰγυπτίᾳ ποιήματα δῶρόν τε τοῦ ποταμοῦ ἀμφότεροι ὡσαύτως ὀνομάζουσι κτλ. Quibus e verbis colligo post Callimachum et Eratosthenem fuisse, qui unam Aegypti periegesin pro spuria existimarent; neque mirum est, quod

---

[1]) Sic interpretor verba quae sunt ἐκ τῆς ἄλλης αὐτοῦ γραφῆς, quae etiam de genere dicendi, ut alii volunt, intellegi posse non nego.

[2]) Verba quae sunt βραχέα παραποιήσας alii aliter interpretati sunt v. Muell. l. l. p. XV, Gutschm. l. l. p. 535 (cui assentitur Baehrius in edit. Her. IV, p. 435 n.). Ex thesauro linguae Graecae Stephaniano vol, VI, p. 364 (ed. Dind.) cognoscimus (cfr. ibi imprimis argumentum Aesch. Pers.) παραποιεῖν saepe idem significare quod ἀλλοιοῦν; ita hoc loco intellegendum est.

[3]) De his infra capite altero disputabitur.

[4]) Quaerat forsitan quispiam, quomodo explicari possit, quod ex solo altero Herodoti libro in unam Aegypti descriptionem Hecataei nonnulla verbo tenus translata sint. Hoc inde ortum esse puto, quod et Hecataeus de Aegypto, quam ipse permeaverat, copiosius solito verba fecit et Herodotus de illa terra tam multa tradidit, ut facultas data esset Hecataei narrationes ex Herodoto supplendi. Tamen tenendum est hac in re breve dicendi genus, quod Hecataei proprium erat, diligenter servatum esse ita ut, quod ad orationem attinet, genuina et interpolata discerni vix possent.

Callimachus, etiamsi in una illa interpolationes invenit, tamen totum alterum librum periegeseos, cuius pars ea erat, ab Hecataeo abiudicavit. Ceterum argumenta, quibus iudicium suum fulciret, Callimachus non videtur protulisse[1]) neque Eratosthenes pluribus verbis rem exposuisse. Quapropter fieri potuit, ut postea nonnulli totam descriptionem terrae genuinam iudicantes ea, quae ex Herodoto in Hecataeum inserta erant, e contrario illum ex hoc sumpsisse putarent; quo facit Suid. s. v. Ἑκατ. et locus ille Porphyrii, quem ad Pollionem quendam, Ciceronis aequalem, referendum esse Hollandero facile concedo.

Denique quaeri oportet, num etiam interpolationes ad res geographicas pertinentes Hecataei libris additae sint. Quod Gutschmidius[2]) et Hollanderus[3]) negant, cum fragmentum de Capua[4]), quod iis obstat, aliter explicare student. Sed Gutschmidii argumentationem nimis artificiosam esse iam Hollanderus recte monuit; ipse vero non melius mihi videtur disputasse. Putat enim post verbum quod est Ἰταλίας breviatoris vel librarii errore aliquot voces excidisse itaque ad Hecataeum illa verba omnino non pertinere; nam ex vero Hecataeo fluxisse ea nullo modo posse, cum neque is voce quae est Ἰταλία ita utatur ut homines posterioris aetatis[5]) et Capuae urbi eius temporibus Livio (IV, 37) teste nomen Volturnum fuerit. Sed Hollanderi sententiae ne accedam, impedior Hecataei fragmento 29, ubi legimus: Καπρίη, νῆσος Ἰταλίας. Ἑκ. Εὐρ. Etiam hoc loco vir doctus difficultatem ita tollendam esse iudicat, ut breviatorem ante nomen Hecataei nescio quid omisisse ponamus ita, ut logographus ab Italia seiungatur. Quod quis tandem probaverit? Nonne haec emendandi ratio ab artis criticae legibus prorsus abhorret? Nonne multo probabilius illa fragmenta postea interpolata esse conicimus? Quid? Plurimi scriptores veteres, qui aetatem tulerunt, alius aliter corrupti et interpolati sunt: Hecataeo idem accidisse mirum iudi-

[1]) Nam in conscribendis tabellis, quae Graece vocantur πίνακες, ei parum spatii videtur fuisse. V. etiam Th. Birt, Das antike Buchwesen in seinem Verhältniss zur Literatur (Berl. 1882) p. 164.
[2]) l. a. p. 537. [3]) l. a. p 9 sqq.
[4]) frg. 27 ap. Muell. Καπύα, πόλις Ἰταλίας. Ἑκ. Εὐρ.
[5]) De diversis significationibus, quae apud scriptores Graecos vocabulo insunt quod est Ἰταλία, cum alii egerunt tum Niebuhr, Roem. Gesch. I[3], p. 54 sqq.

cabimus?[1]). Praesertim cum nullius scriptis facilius quam huic pauca hic illic addi potuerint, sive breves descriptiones sive sola urbium nomina, quae ipse nondum noverat. Neque tamen hoc ita intellegi volo quasi Hecataei periodus a viris doctis interpolando ad posteriorum temporum scientiam geographicam adaptari et velut compendium eius divulgari sit solita[2]). Sed pauca tantum inserta sunt, quo factum est, ut in tot fragmentis a Stephano servatis tam raro in spuria incidamus. Ceterum persuasum habeo Hecataeum Alexandrinorum aetate et postea nisi a viris doctis, imprimis grammaticis, historicis, geographis, rhetoribus in usum non esse adhibitum; tamen aetatem tulisse usque ad Stephani tempora, qui ipse eum inspexerit. Nam quomodo hic tot locos ex eo laudare potuerit, nisi ipse in manibus eum habuisset, non video[3]).

II.

Quae ratio intercedat inter Hecataeum et Herodotum etsi non defuerunt qui quaesiverint[4]), nemo tamen ea de re adhuc eo modo disputavit, quomodo talis quaestionis solvendae causa necesse est fieri. Neque enim satis videtur in universum eam dis-

[1]) Et scriptorum et poetarum opera iam mature interpolata sive supposita esse aliquot exemplis docet Graefenhan, Gesch. d. klass. Philol. im Altert. I, p. 243 sqq. 250 sqq. 378 n. 11.

[2]) Haec falsissima sententia prolata est a Creuzero, Hist. K. p. 285 cfr. ibid. p. 174 et Mueller, Fragm. h. Gr. I, p. XV. — Monere liceat illis temporibus multa nova scripta de terrarum situ exstitisse, Scylacis, Eratosthenis, Astemidori, plurimorum aliorum, de quibus v. Ukertum sive Forbigerum.

[3]) Muell. l. l. p. XV. et Gutschm. l. a. aliter iudicaverunt. At quibus ex fontibus Stephanum lemmata sua hausisse putemus? Nam quod Gutschmidius dicit eum ex scriptoribus, qui Augusti temporibus floruissent, illa sumpsisse, hoc ut probari possit, maxime vereor. Neque enim illorum erat fontes suos tam accurate nominare, quam factum esse nobis ponendum sit, si Gutschmidium sequamur (cfr. usum Strabonis, Pausaniae, aliorum). Itaque nihil restat nisi ut Stephanus fragmenta Hecataei aut ex ipso huius opere excerpserit aut ex alio nescio quo grammatico delibaverit, qui ea simili modo quo ipse iam antea collegerat. Sed quia hoc multo ante ipsius aetatem factum esse nequit, elucet illud praeferendum, praesertim cum nihil obstet, quin Hecataei scripta, quibus Avienus usus est (exeunte saeculo quarto p. Chr. n.) etiam Stephani temporibus (ca. a. 500 p. Chr. n.) in usu fuerint.

[4]) Neque defuerunt qui hanc quaestionem certo diudicari posse desperarent, cfr. Krall, zum zweiten Buch Herodots (Wiener Studien IV) p. 46: Zudem ist das Abhängigkeitsverhältniss, welches zwischen den Αἰγύπτιοι λόγοι Herodots und den Berichten des Hekataios besteht, unaufgeklärt und wird nie ins Reine zu bringen sein.

ceptasse, sed opus erit omnes locos et Herodoti et Hecataei, qui huc spectant, diligenter colligere, singulos cum singulis comparare, ibi denique, ubi viri docti Herodotum altero usum esse contendunt, quantum his coniecturis probabilitatis tribuenda sit, accurate perpendere. Quod nos his schedulis, quantum possumus, perficere conemur.

Ordiamur igutur ab iis locis, ubi Herodotum ad Hecataeum manifesto respicere videmus. Quorum in numero est ille, qui exstat apud Her. VI, 137: Πελασγοί, ἐπείτε ἐκ τῆς Ἀττικῆς ὑπὸ Ἀθηναίων ἐξεβλήθησαν, εἴτε ὦν δὴ δικαίως εἴτε ἀδίκως· τοῦτο γὰρ οὐκ ἔχω φράσαι, πλὴν τὰ λεγόμενα, ὅτι Ἑκαταῖος μὲν ὁ Ἡγησάνδρου ἔφησε ἐν τοῖσι λόγοισι λέγων ἀδίκως· ἐπείτε γὰρ ἰδεῖν τοὺς Ἀθηναίους τὴν χώρην, τήν σφίσι αὐτοῖσι ὑπὸ τὸν Ὑμησσὸν ἐοῦσαν ἔδοσαν Πελασγοῖσι οἰκῆσαι μισθὸν τοῦ τείχεος τοῦ περὶ τὴν ἀκρόπολίν κοτε ἐληλαμένου, ταύτην ὡς ἰδεῖν τοὺς Ἀθηναίους ἐξεργασμένην εὖ, τὴν πρότερον εἶναι κακήν τε καὶ τοῦ μηδενὸς ἀξίην, λαβεῖν φθόνον τε καὶ ἵμερον τῆς γῆς, καὶ οὕτω ἐξελαύνειν αὐτοὺς οὐδεμίαν ἄλλην πρόφασιν προϊσχομένους τοὺς Ἀθηναίους. ὡς δὲ αὐτοὶ Ἀθηναῖοι λέγουσι, δικαίως ἐξελάσαι. κατοικημένους γὰρ κτλ. . . . ἐκεῖνα μὲν δὴ Ἑκαταῖος ἔλεξε, ταῦτα δὲ Ἀθηναῖοι λέγουσι. Haec verba ex Hecataei genealogiis sumpta eese admodum probabile est et suo iure Klausenius ea fragmentis tertii earum libri videtur inseruisse. Docent igitur Herodotum has cognitas habuisse. Videmus autem hoc loco eum Atheniensium narrationi opponere Hecataei neque decernere audere, uter rectiora tradiderit. — Similis locus est Her. II, 143: πρότερον δὲ Ἑκαταίῳ τῷ λογοποιῷ ἐν Θήβῃσι γενεηλογήσαντί τε ἑωυτὸν καὶ ἀναδήσαντι τὴν πατριὴν ἐς ἑκκαιδέκατον θεὸν ἐποίησαν οἱ ἱερέες τοῦ Διὸς οἷόν τι καὶ ἐμοὶ οὐ γενεηλογήσαντι ἐμεωυτόν. ἐσαγαγόντες ἐς τὸ μέγαρον ἔσω ἐὸν μέγα ἐξηρίθμεον δεικνύντες κολοσσοὺς ξυλίνους τοσούτους ὅσους περ εἶπον· ἀρχιερεὺς γὰρ ἕκαστος αὐτόθι ἱστᾷ ἐπὶ τῆς ἑωυτοῦ ζόης εἰκόνα ἑωυτοῦ· ἀριθμέοντες ὦν καὶ δεικνύντες οἱ ἱερέες ἐμοὶ ἀπεδείκνυσαν παῖδα πατρὸς ἑωυτῶν ἕκαστον ἐόντα, ἐκ τοῦ ἄγχιστα ἀποθανόντος τῆς εἰκόνος διεξιόντες διὰ πασέων, ἕως οὗ ἀπέδεξαν ἁπάσας αὐτάς. Ἑκαταίῳ δὲ γενεηλογήσαντι ἑωυτὸν καὶ ἀναδήσαντι ἐς ἑκκαιδέκατον θεὸν ἀντεγενεηλόγησαν ἐπὶ τῇ ἀριθμήσι, οὐ δεκόμενοι παρ᾽ αὐτοῦ ἀπὸ θεοῦ γενέσθαι ἄνθρωπον· ἀντεγενεηλόγησαν δὲ ὧδε, φάμενοι ἕκαστον τῶν κολοσσῶν πίρωμιν ἐκ πιρώμιος γεγονέναι, ἐς ὃ τοὺς πέντε καὶ τεσσαράκοντα καὶ τριηκοσίους ἀπέδεξαν

κολοσσούς, καὶ οὔτε ἐς θεὸν οὔτε ἐς ἥρωα ἀνέδησαν αὐτούς κτλ. Etiam hanc narratiunculam consentaneum est ex Hecataeo fluxisse, ex genealogiis, ut videtur[1]); addit vero Herodotus, quae ipse cognovit.

Minus manifesto pertinent ad Hecataeum, quae Herodotus dicit IV, 36: γελῶ δὲ ὁρέων γῆς περιόδους γράφαντας πολλοὺς ἤδη καὶ οὐδένα νοονεχόντως ἐξηγησάμενον· οἱ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ τὴν γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα ὡς ἀπὸ τόρνου καὶ τὴν Ἀσίην τῇ Εὐρώπῃ ποιεύντων ἴσην. ἐν ὀλίγοισι γὰρ ἐγὼ δηλώσω μέγαθός τε ἑκάστης αὐτέων καὶ οἵη τίς ἐστι ἐς γραφὴν ἑκάστη. Γράφειν et γραφή hoc loco idem significant quod delineare et delineatio; itaque verisimillimum est hic descriptiones orbis terrarum ostendi, quas ab Anaximandro philosopho inventas Hecataeus ampliore rerum cognitione adiutus postea correxit[2]). Accedit quod etiam ex aliis indiciis cognoscimus ab hoc Oceanum flumen habitum esse circum totam terram fluens. Nam Herodotus II, 20 sq. sententiam Jonum, ex Oceano circum terram fluente Nilum emanare, acriter impugnat; ea autem imprimis in Hecataeum dici docent haec. Apud Diodorum (I, 37) legimus veteres logographos, in quibus Cadmum, Hellanicum, Hecataeum, de Nilo mira et fabulosa tradidisse atque sacerdotes Aegyptios eum ex Oceano oriri contendere. Praeterea a scholiasta ad Apoll. Rhod. IV, 259 adnotatur: Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος ἐκ τοῦ Φάσιδος διελθεῖν εἰς τὸν Ὠκέανον (τοὺς Ἀργοναύτας ἱστορεῖ), εἶτα ἐκεῖθεν εἰς τὸν Νεῖλον, ὅθεν εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν. Unde luce clarius apparet Herodotum et IV, 36 et II, 20 sq. imprimis spectare ed Hecataeum.

Loci Herodotei, quos modo exscripsimus, satis aperte ex Hecataeo pendent: omnes reliqui, quos iam tractaturi sumus, multo sunt incertiores, quippe quos nisi coniecturis huc referre

[1]) cfr. Baehr. in ed. Her. I, p. 755 n. Klausenius (l. a. p. 118) minus recte eam in periodi fragmentis collocavit.

[2]) V. Agathem. I, 1: Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, ἀκουστὴς Θάλεω. πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι. Μεθ᾽ ὃν Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, ἀνὴρ πολυπλανής, διηκρίβωσεν ὥστε θαυμασθῆναι τὸ πρᾶγμα. Ἑλλάνικος γὰρ Λέσβιος ἀνὴρ πολυίστωρ ἀπλάστως παρέδωκε τὴν ἱστορίαν. Εἶτα Δαμάστης ὁ Σιγεὺς τὰ πλεῖστα ἐκ τοῦ Ἑκαταίου μεταγράψας περίπλουν ἔγραψεν. — Eustath. ep. p. 73 (Dion. Per. ed. Bernh): ὅσοι τὴν τῆς οἰκουμένης πινακογραφίαν μεμελετήκασιν . . . οὗ δὴ τολμήματος κατάρξαι ἱστόρηται Ἀναξίμανδρος, Ἑκαταῖος δὲ μετ᾽ αὐτὸν τῇ αὐτῇ τόλμῃ ἐμβαλεῖν. — Schol. in Dion Per. p. 317 (ed. Bernh.): Τίνες πρότερον ἐν πίνακι τὴν οἰκουμένην ἔγραψαν; πρῶτος Ἀναξίμανδρος, δεύτερος Μιλήσιος Ἑκαταῖος. (V. Reinganum, Gesch. der Erd- und Länderabbildungen der Alten. 1839. p. 109 sq. n. 42.)

non possimus. Atque primum in eo numero est Her. IV, 20, ubi Herodotus Melanchlaenos nominat et addit ἄλλο ἔθνος καὶ οὐ Σκυθικόν. Ex Hecataei autem fragmento 154 cognoscimus ipsum hunc eos appellavisse ἔθνος Σκυθικόν; quare nonne probabile est illa verba huius refellendi causa addita esse? — Eodem facit Her. IV, 18: Ἀνδροφάγοι, ἔθνος ἐὸν ἴδιον καὶ οὐδαμῶς Σκυθικόν; quamquam simile Hecataei fragmentum non exstat. — Duobus porro his locis adducimur, ut etiam I, 201 illis τινές Hecataeum quoque accensendum esse putemus; nam si hic Melanchlaenos et Androphagos, quamquam Herodoti ex sententia Scythae non erant, tamen in numero eorum habuit, facile est conicere idem eum de Massagetis dixisse, cum praesertim fragmento 168 Issedones et ipsi inter Scythas recenseantur. — Nec minus tangitur Hecataeus ab Herodoto II, 156. Cfr. imprimis huius verba: αὐτὸς μὲν ἔγωγε οὔτε πλέουσαν οὔτε κινηθεῖσαν εἶδον, τέθηπα δὲ ἀκούων, εἰ νῆσος ἀληθέως ἐστὶ πλωτή et illius fragm. 284: ἔστι δὲ ἡ νῆσος μεταρσίη καὶ περιπλέει καὶ κινέεται ἐπὶ τοῦ ὕδατος[1]). Cum iisdem fere verbis usi sint, alter alterius rationem videtur habuisse. — Non solus, sed una cum aliis Hecataeus fortasse ante oculos versatur Herodoto II, 15 sqq. IV, 8. II, 133. I, 146. In primo loco vehementer disputatur contra Jonum sententiam, re vera Aegyptum nihil esse nisi Nili Delta, reliquam terram a dextra laevaque huius fluminis sitam Asiae aut Libyae tribuendam esse. Puto equidem Herodotum hanc opinionem vix tam fuse et acriter refutaturum fuisse, nisi Hecataeus, vir clarissimus idemque gravissimus, eam pronuntiasset. Quid quod illud Ἴωνες hoc etiam verisimilius reddit[2])? — IV, 8 Herodotus exponit, quae Graeci

[1]) Hollanderus l. l. p. 6 sq. hoc fragmentum suspectum habet, quod verba ἐστὶ μεταρσίη καὶ περιπλέει καὶ κινέεται ἐπὶ τοῦ ὕδατος, quibus ter una eademque res efferatur, parum logographorum simplicitate conveniant. Sed mihi aptissime cumulatis illls vocibus simplex logographus re insolita et mira obstupefactus denotari videtur. — Praeterea suspicor illi insulae, de qua sermo est, in lingua Aegyptiaca vel nomen vel cognomen fuisse, quod Graecae voci πλωτή responderit; nam hoc si statuimus, crebra huius verbi repetitio facile explicari potest. — Similes insulae natantes commemorantur a Plin. ep. VIII, 20 et Dion. Hal., Ant. Rom. I, 16.

[2]) Alia sententia est Murius l. a. p. 149, n. Negat enim hoc loco Hecataeum quoque ab Herodoto tangi, primum quidem, quod ille orbem terrarum in duas partes diviserit, non in tres, ut Jones ab Herodoto vituperati, deinde quod fragm. 267, ubi urbes aliquot citantur Nilo superiori adiacentes, addatur Ἑκ. ἐν περιηγήσει Αἰγύπτου, quae res ei repugnet, quod Herodotus dicit illos Jones notionem Aegypti ad unum Delta referre. —

ad Pontum Euxinum habitantes de Scytharum terra narrent, atque occasione oblata dicit τὸν δὲ Ὠκέανον λόγῳ μὲν λέγουσι ἀπὸ ἡλίου ἀνατολέων ἀρξάμενον γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν, ἔργῳ δὲ οὐκ ἀποδεικνῦσι. Quod maxime ad Hecataeum spectare mihi persuasum est (cfr. IV, 36). — Similiter II, 133 in iis, qui de Rhodopi fabulosa tradiderunt, Hecataeus fuisse potest idemque I, 146 in Milesiis illis, qui sinceram integramque originem iactabant. Certe acerbitas, quam hoc loco deprehendimus[1]), haud aliena est ab illa asperitate, quacum Herodotum saepius Hecataeum tractare videmus, cfr. IV, 36: γελῶ δὲ ὁρέων κτλ. II, 21: ἡ δὲ ἑτέρη ἀνεπιστημονεστέρη κτλ.[2]). Accedit quod cum Cadmum tum Hecataeum in scriptis suis Milesiorum, popularium suorum, originem laudibus extulisse nihil est cur miremur. — Contra non adducor, ut etiam II, 3 et II, 45, id quod Klausenius et Steinius statuunt, ad Hecataeum putem referri oportere. Nam posteriore loco Herodotus veteres poëtas ante oculos videtur habuisse, priore Graecos in Aegypto versatos variasque fabulas tradentes. Nec magis assentior Steinio ad Her. V, 53 adnotanti Herodotum hoc loco verbis, quae sunt τὰ βασιλήια τὰ Μεμνόνεα καλεύμενα et τοῦτο γὰρ Μεμνόνεον ἄστυ καλέεται, ideo usum esse, quod apud Hecataeum ea legisset. Mihi enim persuasum est fabulas, quas veteres poetae epici de Memnone eiusque variis casibus tradebant, etiamtum omnibus notas fuisse. — Denique affero IV, 45, quo capite ineunte Klausenii ex sententia Hecataeus tecte castigatur. Id concedendum esse opinor, quamquam fragmentum 160, quod vir doctissimus affert sententiae suae confirmandae causa, non nostro Hecataeo, sed Abderitae tribuendum censeo, ei qui de Hyperboreis

Quae contra moneo haec. Primum verba illa, quae sunt Ἑκ. ἐν περιηγήσει Αἰγύπτου, ἐν Αἰολικοῖς, Λιβύῃ cet., a Stephano non ex Hecataeo desumpta sunt, sed ab ipso addita (hoc efficitur imprimis ex eius inconstantia; nam urbem vel gentem Aegyptiacam cum laudat, aut addit Ἑκ. ἐν περιηγήσει Αἰγύπτου (hoc plerumque videmus fieri) aut περιηγήσει Λιβύης (ex. gr. frg. 271. 275) aut ἐν δευτέρῳ περιηγήσεως (frg. 280) aut Ἀσίᾳ (frg. 286, περιηγήσει Ἀσίας frg. 273); quod quomodo fieri potuit, si libri Hecataei certis singularum partium inscriptionibus instructi fuissent?) Deinde Hecataeus, etiamsi orbem terrarum aptius sibi visus est in duas partes dividere quam in tres, tamên facillime hic illic usus vulgaris rationem habuisse potest.

1) cfr. verba: ἔστωσαν δὴ καὶ οἱ καθαρῶς γεγονότες Ἴωνες.

2) Klausenius addit etiam Her. II, 143, ubi hic „iactationem Hecataei de generis origine levi ioco perstringat“.

copiosius egerit. Tamen videtur Herodotus etiam hoc loco Hecataeum vituperare, quod Oceanum fluminis more terram circumfluere putaverit; quapropter etiam eandem enuntiationem medio in capite fortiter repetit (ἡ δὲ δὴ Εὐρώπη οὔτε εἰ περίῤῥυτός ἐστι γινώσκεται πρὸς οὐδαμῶν ἀνθρώπων οὔτε κτλ.).

Priusquam ea via, quam ingressi sumus, longius procedamus, aptum videtur et necessarium, quae adhuc invenerimus, paucis comprehendere. Vidimus igitur duobus solis locis Hecataeum Herodoti fontem ea sententia fuisse, qua hoc vocabulo uti solemus i. e. hunc sumpsisse ex illo, quae iterum narraret; ceteris contra locis nihil probari posse nisi Herodotum Hecataeum tecte ostendere. Accedit quod illis duobus locis ille hunc nominatim affert — quae res posteriore loco alicuius momenti est —, ceteris autem eum refutare vel corrigere studet. Itaque res longe alia est, si Klausenius, Muellerus, Roggius, Abichtus[1]), Wiedemannus[2]), alii dicunt Herodotum nonnusquam Hecataeum sequi velut unicum fontem nomine eius non allato, quin etiam nonnulla ex eo verbo tenus transcripsisse. Hoc si verum esset, apparet rationem inter eos intercessuram esse longe diversam ab illa, quam adhuc eruimus. Tum Herodotus non, ut adhuc videtur, usquequaque suis viribus staret, sed ex Hecataeo, fortasse etiam ex aliis auctoribus penderet non rebus solum, verum etiam verbis. Nam si Hecataeum historiae pater ita compilavit, non longe abest suspicio eum eodem modo alios quoque, qui ipso superiores erant, in usum suum convertisse. Vides igitur, quantum valeat illa sententia ad rationem inter Herodotum et logographos iudicandam; proinde eam diligenter examinemus inquirentes in argumenta, quibus nititur.

Jam inter veteres scriptores non defuerunt, qui Herodotum Hecataeum saepe consuluisse vel exscripsisse putarent. Quo facit Suid. s. v. Ἑκατ.: Ἡρόδοτος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ὠφέληται τούτου νεώτερος ὤν et Porphyr. apud Euseb. praep. evang. X, 3, p. 166 B.[3]). Quibus primum perpendamus quantum auctoritatis tribu-

[1]) v. Herod. erkl. v. Ab. I, p. 5. Herod., ed. idem (Tauchn.) I, p. VII.

[2]) Geschichte Aegyptens von Psammetich I bis auf Alexander den Grossen, Leipz. 1880, p. 81 sqq. cfr. Steinium in Burs. Jahresber. cet., 1881, p. 99 sq.

[3]) Huius verba v. supra p. 12. — Quae apud Hermogenem περὶ ἰδ. II, 12 legimus: Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, παρ᾽ οὗ δὴ μάλιστα ὠφέληται ὁ Ἡρόδοτος,

endum sit. Suidae quidem verba referenda sunt ad Porphyrium, ut supra exposuimus[1]); itaque hic superest unus, qui illa tradat. Cuius in verba tantum abest, ut iurandum esse censeam, ut etiam ea prorsus repudiem; atque operam dabo, ut tibi quoque, lector benevole, hoc iure fieri persuadeam. Sed Porphyrium si recte volumus intellegere, fieri non potest, quin altius repetamus totumque illum locum, ubi citatur[2]), paullo diligentius inspiciamus. Eusebius igitur praeparationis evangelicae libro decimo demonstrare studet Graecos totam scientiam suam a barbaris, Aegytiis, Chaldaeis, Hebraeis, aliis accepisse, nihil fere ipsos invenisse. Cuius rei docendae causa cum alia affert argumenta tum illud monet Graecos omnino tantopere consuetudini rerum aliunde delibandarum deditos fuisse, ut etiam ipsos in vicem compilarent, cum posteriores scriptores e prioribus plurima exscriberent ac pro suis venderent. Quod ut comprobet, Clementem Alexandrinum testem profert, qui talia furta in libro, qui inscribitur Στρωματεῖς, magna cum diligentia collegit, et Porphyrium, qui et ipse hac de re data occasione egit. Hic enim in ἀκρ. φιλ. I sermones refert, qui Athenis quondam convivio apud Longinum facto habiti sint de hac ipsa quaestione, quam multa scriptores Graeci inter se furati sint; quod vitium crimini vertitur scriptoribus celeberrimis, Ephoro, Theopompo, Menandro, Hyperidi, Hellanico, Herodoto, aliis. Atque in fine huius disputationis aliqui libri citantur, quibus illa furta collecta sint; quo in numero etiam est Pollionis cuiusdam liber de furtis Herodoti. Ex hoc igitur Porphyrius sua sumpsit; quaeritur, quae fides ei habenda sit. Nonnulli recentiores, in quibus Gutschmidius, Pollionis verba neglegenda putaverunt esse; sed Hollanderus[3]) docuit ea, quatenus examinari possint, verissima esse h. e. locorum a Porphyrio ex Pollione laudatorum illos, qui nobis servati sint, re vera et verbis et sententiis mirum quantum inter se consentire. Quae cum ita sint, dnbitare non licet, quin Herodotus descriptionibus a Porphyrio allatis cum Hecataeo satis accurate congruerit. Hoc tenendum;

---

ea ad genus dicendi, non materiam referenda esse recte monuit Hollanderus l. a. p. 2, n. 4.

[1]) v. p. 7 n. 3.

[2]) Eus. praep. ev. X, 2, p. 60 sqq. (ed. Hein.)

[3]) l. a. p. 3 sqq.

sed sumusne coacti ex hac re idem colligere quod Porphyrius vel Pollio, Herodotum eas ex Hecataeo transscripsisse? Nonne exstat ratio, qua haec aliter idque melius expedire possimus? Exstat mea sententia et iam supra[1]) a me tacta est: persuasi mihi non Herodotum locos, quos dicimus, ex Hecataeo delibasse, sed e contrario interpolatores eos ex illo in huius libros inseruisse. Quam sententiam hac deliberatione arbitror confirmari. Primum quidem, Pollio quod tradit, omnino incredibile est; cfr. quae infra p. 23 sq. disputabimus. Deinde si eo modo, quo nos proposuimus, rem explicamus, facillime intellegi potest, cur Callimachus et Eratosthenes de Hecataei descriptione terrae diverse iudicaverint. Tertium offendere non debet, quod veteres illi scriptores, in quibus Pollio et Porphyrius, rem tam perverse interpretati sunt; nam hi et alii illius aetatis viri docti multo etiam maiores errores commiserunt. Exemplo ut utar, ipse Porphyrius Hellanici librum, cui inscribebatur Βαρβαρικὰ νόμιμα, pro genuino habuit, quem subditum fuisse infra[2]) demonstrabimus; nec minus Clemens Alex. l. a. sine ulla suspicione Melesagorae opus adscribit, quod ex aliis libris conflatum esse maxime est perspicuum[3]). — Denique pauci alii loci, quibus et ipsis Herodotus cum Hecataeo convenit, eodem modo quo nostri ab interpolatoribus in hunc inserti videntur; de quibus vide, quae mox[4]) in medium proferemus.

Quoniam igitur Porphyrii auctoritatem infregisse nobis videmur, transeamus ad singulos locos perlustrandos, ubi Herodotus ex virorum doctorum sententiis Hecataeum secutus est. E quibus primum enumero eum, qui exstat Her. II, 5: καὶ εὖ μοι ἐδόκεον λέγειν περὶ τῆς χώρης· δῆλα γὰρ δὴ καὶ μὴ προακούσαντι, ἰδόντι δέ, ὅστις γε σύνεσιν ἔχει, ὅτι Αἴγυπτος, ἐς τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται, ἐστὶ Αἰγυπτίοισι ἐπίκτητός τε γῆ καὶ δῶρον τοῦ ποταμοῦ. Quocum cfr. Hecataei frg. 279, ab Arriano traditum (textum v. supra p. 12). Ad hoc adnotat Klausenius, Herodoti verba, quae sunt ἐπίκτητός τε γῆ καὶ δῶρον τοῦ ποταμοῦ, ex Hecataeo transscripta esse. Sed haec suspicio ad nihilum recidit, si Steinium secuti conicimus Graeca illa vocabula simili significationi respondere, quae in lingua Aegyptiaca de Nili Delta usurpari sit solita. Quae coniectura commendatur his locis: c. 10 Ταύτης ὦν τῆς χώρης τῆς

[1]) p. 11 sq. [2]) v. p. 36. [3]) v. p. 59. [4]) p. 23 sq.

εἰρημένης ἡ πολλή, κατάπερ οἱ ἱερέες ἔλεγον, ἐδόκεε καὶ αὐτῷ μοι εἶναι ἐπίκτητος Αἰγυπτίοισι et c. 15: ἤδη γάρ σφι τόγε Δέλτα, ὡς αὐτοὶ λέγουσι Αἰγύπτιοι καὶ ἐμοὶ δοκέει, ἐστὶ κατάῤῥυτός τε καὶ νεωστὶ ὡς λόγῳ εἰπεῖν ἀναπεφηνός. Similem consensum inter Herodotum et Hecataeum simili modo supra[1]) explicavimus: uterque vocem Aegyptiacam pariter reddidit, quod cui videatur mirum? — Non minus breviter confutare possumus, quae Klausenius censet de Her. II, 33. Ibi enim traduntur ultra fretum Gaditanum Celtae habitare iisque proximi Cynesii, qui inter omnes Europae gentes occasum versus extremas terras colant. Hos Cynesios Avienus quoque commemorat, unde vir doctus colligit utrumque et Avienum et Herodotum ex Hecataeo hausisse. At numquid documento est Avienum, qui tot fontibus usus est, illud ipsum nomen ex Hecataeo sumere oportuisse? Nonne eodem iure quilibet alius fons eius statui potest? Equidem confiteor mihi Klausenii coniecturam admodum audacem et temerariam videri. Ceterum Herodotus populum, de quo agitur, iterum affert IV, 49 nomine paululum immutato (Κυνήσιοι — Κύνητες); unde eum cognoverit, non liquet[2]). — Sed multo audaciorem Klausenius se praebet in adnotatione ad Hecataei frgm. 180, ubi dicit: „Probabile est universam, quam Darius instituerat, regionum distributionem exhibitam fuisse ab Hecataeo, a quo eam receperit Herodotus III, 90—97". Hanc sententiam plane futilem commenticiamque duco. Nam Herodotus, qui tanta cum diligentia, tanta cum orationis ubertate enarrat, quomodo Persarum potentia orta ac pedetentim aucta sit, cuius modi moribus institutisque utantur, qualem religionem colant, ut alia taceam, eaque omnia manifesto ipse cognovit, ipse sciscitatus est, is octo illa capita, quibus quae exponit, facillime ipse exquirere potuit, ex Hecataeo delibaret? Praeterea quomodo tota haec expositio huius operi convenit, quod nihil nisi res ad geographiam pertinentes easque perquam breviter obiterque tractabat, a descriptionibus vero tam accuratis prorsus abhorrebat? Quam apte contra apud Herodotum narrationi inserta est,

[1]) p. 17, n. 1.

[2]) Arnold, History of Rome I, p. 491 sq. e Phoenicum periplo quodam ea fluxisse putat (v. Baehr. ad. Her. II, 34), sed hoc quoque parum verisimile est.

quippe qui agat l. l. de Darei rebus gestis et institutis, quae fecerat regni melius administrandi causa? Accedit quod nonnulla aperte docent Herodotum, quae exhibeat, nemini alii, sed sibi ipsi debere. cfr. c. 97: ἀγινέουσι δὲ καὶ τὸ μέχρι ἐμοῦ et ibid. . . . οὗτοι ὧν δῶρα τὰ ἐτάξαντο ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ[1]) διὰ πεντετηρίδος ἀγίνεον. Postremo monemus ab Hecataeo (cfr. frg. 178) Gandarios non semper, ut ab Herodoto, vocari Γανδαρίους, sed plerumque Γάνδαρας eosdemque apud illum dici Ἰνδῶν ἔθνος, apud hunc ab Indis segregari. — Similiter Klausenii ex sententia Herodotus Hecataei vestigia pressit etiam II, 77, ubi haec dicit: ἀρτοφαγέουσι δὲ (οἱ Αἰγύπτιοι) ἐκ τῶν ὀλυρέων ποιεῦντες ἄρτους τοὺς ἐκεῖνοι κυλλήστις ὀνομάζουσι· οἴνῳ δὲ ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται· οὐ γάρ σφι εἰσὶ ἐν τῇ χώρῃ ἄμπελοι. Eadem fere Athenaeo teste Hecataeus quoque tradidit, cfr. Ath. III, 80 (= frg. 289): Αἰγύπτιοι δὲ τὸν ὑποξίζοντα ἄρτον κυλλάστιν καλοῦσιν. Μνημονεύουσιν αὐτοῦ καὶ Ἑκαταῖος καὶ Ἡρόδοτος; X, p. 447 C: Ἑκαταῖος δὲ ἐν δευτέρῳ περιηγήσεως εἰπὼν περὶ Αἰγυπτίων, ὡς ἀρτοφάγοι εἰσίν, ἐπιφέρει „τὰς κριθὰς εἰς τὸ πῶμα καταλέουσιν"; X. p. 418 E (= frg. 290): Αἰγυπτίους δ' Ἑκαταῖος ἀρτοφάγους φησὶν εἶναι, κυλλήστιας ἐσθίοντας, τὰς δὲ κριθὰς εἰς ποτὸν καταλέοντας. Quae cum ita sint, Klausenius contendere non dubitat Herodotum sua exscripsisse; quin addit fortasse cetera quoque, quae c. 77 narrentur, et c. 36, ubi etiam de pane Aegyptiorum sermo est, ac locos huic finitimos ex Hecataeo translatos esse. Haec coniectura etsi mihi ultra modum audax videtur atque vix digna, quae refellatur, tamen, quoniam Klausenius aliique multum ei tribuunt, paululum in ea subsistamus. Herodotus cum Aegyptum permigraret, ut demonstrat unumquodque caput secundi historiarum libri, omnia accuratissime observavit ac summa cum diligentia naturam terrae et incolarum mores historiamque perscrutatus est; nec ullis molestiis est absterritus, quin verissimum quidque indagaret. Quod cum factum esset, constituit hanc tantam materiam fusius tractare quam ceteras operis sui partes[2]). Et apertum est ante eum neminem hac

---

[1]) De significatione vocum, quae sunt ἐς ἐμέ, recte adnotat Roggius l. a. p. 124, n. eas semper indicare Herodotum locos, de quibus sermo sit, ipsum visisse; addo eas non minus certo docere eum res, quibus in enarrandis inveniuntur, ipsum sciscitatum esse.

[2]) V. Her. II, 35: Νείλου μέν νυν πέρι τοσαῦτα εἰρήσθω· ἔρχομαι δὲ περὶ

de re tam copiose egisse; imprimis Hecataeus, qui est ambitus operis eius, hoc facere non potuit. Sane hic illic cum Herodoto eum concedo potuisse consentire; neque tamen inde colligi debet eum ab illo compilatum esse. Hoc vetant cum ea, quae Herodotus dicit VI, 55[1]), tum ipsa ratio: cui enim verisimile videtur Herodotum, qui de Aegypto multo plura et rectiora tradit quam Hecataeus, ex hoc pauca illa frustula exscripsisse, cum res, de quibus agunt, ipse inspicere potuerit, inspectas ipse describere? Quibus de causis nullus dubito, quin loci ab Athenaeo ex Hecataeo allati a genuino huius opere abiudicandi et in eorum numero habendi sint, qui ex Herodoto interpolati esse videantur. Cfr. supra p. 11. sq. — Loco, quem modo tractavimus, statim adiungamus illum locum saepe agitatum, qui legitur apud Her. II, 73; quem Klausenius, Creuzerus, Muellerus pro certo habent ex Hecataeo fluxisse. Nituntur hi viri paene nihilo nisi loco Porphyrii iam saepe laudato: cui quae sit fides atque auctoritas attribuenda, supra exposuimus. Sed haec omittamus ac rem ipsam excutiamus. Herodotus igitur l. l. ita disputat: ἔστι δὲ καὶ ἄλλος ὄρνις ἱρός, τῷ οὔνομα φοῖνιξ. ἐγὼ μέν μιν οὐκ εἶδον εἰ μὴ ὅσον γραφῇ· καὶ γὰρ δὴ καὶ σπάνιος ἐπιφοιτᾷ σφι, δι ἐτέων, ὡς Ἡλιοπολῖται λέγουσι, πεντακοσίων· φοιτᾶν δὲ τότε φασὶ, ἐπεάν οἱ ἀποθάνῃ ὁ πατήρ. ἔστι δέ, εἰ τῇ γραφῇ παρόμοιος, τοσόσδε καὶ τοιόσδε· τὰ μὲν αὐτοῦ χρυσόκομα τῶν πτερῶν, τὰ δὲ ἐρυθρά· ἐς τὰ μάλιστα αἰετῷ περιήγησιν ὁμοιότατος καὶ τὸ μέγαθος. τοῦτον δὲ λέγουσι μηχανᾶσθαι τάδε, ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες, ἐξ Ἀραβίης ὁρμεόμενον ἐς τὸ ἱρὸν τοῦ Ἡλίου κομίζειν τὸν πατέρα ἐν σμύρνῃ ἐμπλάσσοντα καὶ θάπτειν ἐν τοῦ Ἡλίου τῷ ἱρῷ· κομίζειν δὲ οὕτω. πρῶτον τῆς σμύρνης ᾠὸν πλάσσειν ὅσον τε δυνατός ἐστι φέρειν, μετὰ δὲ πειρᾶσθαι αὐτὸ φορέοντα, ἐπεὰν δὲ ἀποπειρηθῇ, οὕτω δὴ κοιλήναντα τὸ ᾠὸν τὸν πατέρα ἐς αὐτὸ ἐντιθέναι, σμύρνῃ δὲ ἄλλῃ ἐμπλάσσειν τοῦτο κατ' ὅ τι τοῦ ᾠοῦ ἐγκοιλήνας ἐνέθηκε τὸν πατέρα, ἐγκειμένου δὲ τοῦ πατρὸς γίνεσθαι τὠυτὸ βάρος, ἐμπλάσαντα δὲ κομίζειν μιν ἐπ' Αἰγύπτου ἐς τοῦ Ἡλίου τὸ ἱρόν. ταῦτα μὲν τοῦτον τὸν ὄρνιν λέγουσι ποιέειν. Haec omnia ex ipsis verbis elucere mihi videtur Herodotum Heliopoli comperisse; ibi sacerdotes de miris rebus interpellavit, quae de Phoenice avi

Αἰγύπτου μηκυνέων τὸν λόγον, ὅτι πλεῖστα θωυμάσια ἔχει καὶ ἔργα λόγου μέζω παρέχεται πρὸς πᾶσαν χώρην· τούτων ἕνεκα πλέω περὶ αὐτῆς εἰρήσεται.

[1]) v. supra p. 5 n. 2.

ab Aegyptiis perhibebantur, ibi eius imaginem inspexit, ibi, quid res sibi vellet, cognoscere studuit. Nam ad verba φασί et λέγουσι subiectum supplendum esse, quod est Ἡλιοπολῖται, in aperto est. Tamen Klausenius Porphyrium secutus hunc locum ex Hecataeo haustum esse putat atque rem ita explicat (p. 126 sq.): „Ex his avis ipsius descriptionem haud dubie ipse confecit Herodotus ad picturam avis in tabula, alteram vero eius partem, quam se audivisse refert, transtulit ex Hecataeo, qui fidem ei habebat, quam Herodotus abrogat. Eadem enim ratione, ut hic per λέγουσι, narrationem de Chemmi insula, quam eidem debebat Hecataeo, indroduxit per λέγεται ὑπ᾽ Αἰγυπτίων. Quamquam non dubitandum est, quin ipse etiam haec audiverit Herodotus, in describendo autem itinere suo commodum ei visum est uti scriptis Hecataei narrationibus.“ Miram videlicet disputationem! Ideo igitur Herodotus Hecataei verba expressisse dicitur, quia ipse maiore inertia fuerit (cfr. illud „commodum“), quam ut, quae ipse invenerat, ipse etiam describeret? Fateor hac re mihi quidem nihil minus credibile videri; mea sententia omnium vitiorum patri historiae inertia minime crimini potest dari. Praeterea animadvertas, quaeso, artificiosam et contortam disserendi rationem, qua Klausenius Porphyrii ineptum testimonium ineptius etiam explicare studet: mihi hoc modo nunquam persuaderi poterit Porphyrium vel Pollionem recte iudicasse. Denique quod vir doctus de Chemmi insula admonet, hoc parum huc quadrat; namque etiamsi Herodotus II, 156 Hecataeum tecte ostendat (cfr. s. p. 17), rem tamen ipsam non ab hoc, sed ab Aegyptiis comperit. — Haud aliter explicanda sunt, quae Her. II, 11 narrantur; ne haec quidem descriptio ex Hecataeo videtur fluxisse. — Minime vero Her. II, c. 70 ex alio scriptore sumptum esse potest. Nam verba illa, quae sunt ἄγραι δέ σφεων πολλαὶ κατεστᾶσι καὶ παντοῖαι. ἣ δ᾽ ὦν ἔμοιγε δοκέει ἀξιωτάτη ἀπηγήσιος εἶναι, ταύτην γράφω, evidenter demonstrant hanc narrationem Herodotum ab hominibus Aegyptiis accepisse, quos de venatione hippopotamorum interrogaverat. — Ex his, quae modo disseruimus, apparet nos etiam illam Klausenii coniecturam repudiaturos, qua ibid. c. 68 et 69 Hecataeo putat deberi: Certe breves, quas hic deprehendimus, enuntiationes non maioris momenti sunt quam eae, quae in cc. 73, 71, 70 legun-

tur, cum his descriptionibus tam accuratis optime conveniant. — Denique appono, quae Klausenius satis dubitanter ad frg. 298 adnotat: „Praeter haec (II, 45, 15, 16 cet.) complures, quas Herodotus dedit, descriptiones animalium Aegyptiacorum fortasse debentur Hecataeo, e quibus solum „serpentes alatos“ et „Ibidem“ avem (II, 75 sq.) designabo“. Ne haec quidem, si locos allatos accuratius inspexeris, sustineri poterunt. Nam initio capitis 75 Herodotus diserte dicet, de serpentibus alatis ut certior fieret, in locum quendam Arabiae se ivisse; ibi igitur rem percontatus est. Atque eodem capite exeunte Aegyptios statuit cum Arabibus de causa, cur Ibim colerent, consentire. Itaque ne minimo quidem vestigio ad Graecos ducimur auctores; idemque cadit in caput sequens. — Postremo non praetereunda est Krallii coniectura, qui l. supra p. 14, n. 4 l. ex ea re, quod Herodotus aliquot locis, in quibus II, 43 et 145, in temporum ratione Amasis, non suam ipsius aetatem pro termino quodam usurpet, colligi posse arbitratur eum ibi Hecataeum consuluisse. At huic coniecturae, quamquam eam concedo subtiliter excogitatam esse, tamen praefero, quae Steinius adnotat ad Her. II 43, 21, scriptorem nostrum annales Aegyptiorum sequi, qui Amasis imperio terminati videantur esse[1]).

[1]) Liceat nobis hoc loco quam paucissimis discrepantias enumerare, quae in rebus geographicis inveniuntur inter Hecataeum et Herodotum, quamquam ad quaestionem nostram solvendam non ita multum valent. Hec. frg. 20: Ἐλίσυκοι, ἔθνος Λιγύων, Her. VII 165 Elisyci a Liguribus discernuntur; Hec. frg. 116 Χαλάστρη, Her. VII, 123 Χαλέστρη; Hec. frg. 120 Μηκύβερνα, πόλις Παλλήνης, Her. VII, 122 Mecyberna in oppidis refertur, quae sitae sint in terra Sithonia; Hec. frg. 121 Σερμυλία, πόλις περὶ τὸν Ἄθων, Her. VII, 122 eadem urbs vocatur Σερμύλη atque in Sithoniae oppidis numeratur; Hec. frg. 124 Κρηστῶνες, Her. V, 3 et 5, VII, 124 et 127 Κρηστωναῖοι; Hec. frg. 130 Δάρσιοι, ἔθνος Θρακικόν, Her. VII, 110 Δερσαῖοι; Hec. frg. 143 τὸ Αἷμον, Her. IV, 49 ὁ Αἷμος; Hec. frg. 179 Κασπάπυρος, Her. III, 102 et IV, 44 Κασπάτυρος (Stiehlius in Philol. X, p. 226 Herodotum corrigit ex Hecataeo; quod quam sit perversum, loci docent, quos hic colligimus); Hec. frg. 206 (cfr. Stiehl. l. a. p. 595) Μυλίαι, ἔθνος Φρυγίας, Her. I, 173 cet. Μιλύαι; Hec. frg. 208 Σίγη, πόλις Τρωάδος, Her. IV, 38 cet. Σίγειον πόλις; Hec. frg. 210 Λαμπωνεία, Her. V, 26 Λαμπώνιον; Hec. frg. 221 Μύης, Her. I, 142 cet. Μυοῦς; Hec. frg. 233 Κύλανδος, Her. VIII, 87 Καλυνδέων; Hec. frg. 261 Κάνυτις πόλις Συρίων μεγάλη, Her. II, 159 (cfr. III, 5) Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην; Hec. frg. 284 Χέμβις νῆσος, Her. II, 156 Χέμμις; Hec. frg. 304 Μάζυες, οἱ Λιβύης νομάδες, Her. IV, 191 idem populus appellatur Μάξυες et in eorum Libyum numero habetur, qui agros colerent; Hec. frg. 306 Ζυγαντίς, πόλις Λιβύης, Her. IV, 194 Γύζαντες (propter has duas discrepantias minime est verisimile, quod Rawlinsonius l. a. p. 40 suspicatur, Herodotum imprimis in gentibus Libycis describendis secutum esse Hecataeum); Hec. frg. 364 Τρεμίλαι, Her. I. 173 (VII, 92) Τερμίλαι.

Quoniam igitur locos, qui alicuius momenti sunt ad cognoscendam rationem, quae inter Herodotum et Hecataeum intercedit, omnes perlustravimus, iam necessarium videtur, quae adhuc invenimus, bre viter complecti. Si omittimus II 143, ubi de ipso Hecataeo agitur, nusquam eo Herodotus ita usus est, ut eum unicum fontem haberet. Uno loco (VI, 137) distincte affert eius testimonium et Atheniensibus opponit, qui alia traderent. Praeterea nonnunquam tecte eum significat corrigens vel reprehendens. Contra ne uno quidem loco probari potest Herodotum ex Hecataeo quidquam exscripsisse nomine eius celato.

§ 2.

De Xantho Lydio[1]).

I.

Veterum testimonia de tempore, quo Xanthus vixit, admodum inter se discrepant; nec minus diversa recentiores homines docti hac de re statuerunt. Ac Suidas quidem exhibet haec (s. v.): Ξάνθος Κανδαύλου, Λυδὸς ἐκ Σάρδεων, ἱστορικός, γεγονὼς ἐπὶ τῆς ἁλώσεως Σάρδεων. Λυδιακὰ βιβλία δ'. Cui parum consentit Dionysius Halic., qui Herodotum Xantho antiquiorem putare videtur; cfr. eius locum s. p. 2 allatum cum eo, qui exstat περὶ τοῦ Θουκ. χαρ. 5 p. 820: ὁ δὲ Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος γενόμενος ὀλίγῳ πρότερον τῶν Περσικῶν, παρεκτείνας δὲ μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν . . . Addendum quod Ephorus contendisse dicitur Herodotum in rebus Lydiis multa debere Xantho[2]) atque Strabo[3]) Eratosthenem secutus auctor est Xanthum in opere suo magnae siccitatis mentionem fecisse, quae Artaxerxe Persarum rege incesserit. — Hos quattuor locos viri docti varia ratione inter se conciliare studuerunt; sed hac via rem parum procedere multumque operae frustra consumi nemo

[1]) V. p. 5, n. 4. — Westerm. in Paul. Enc. R. VI, p. 2776. — Hupfeld, Exercitat. Herodot. spec. III sive Rerum Lydiar. partic. I. Marb. 1851, p. 1 sqq. — Hachtmann, De ratione inter Xanthi Λυδιακά et Herodoti Lydiae historiam. Progr. paedag. reg. Hal. 1869.

[2]) Athen. XII, p. 515 . . . ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς ἢ ὁ τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφώς, Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ περὶ ἀναγωγῆς βιβλίῳ, ἀγνοῶν ὅτι Ἔφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ ὡς παλαιοτέρου ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος.

[3]) Str. I, p. 46: (Ἐρατοσθένης) τὴν Στράτωνος ἐπαινεῖ δόξαν τοῦ φυσικοῦ, καὶ ἔτι Ξάνθου τοῦ Λυδοῦ· τοῦ μὲν Ξάνθου λέγοντος ἐπ' Ἀρταξέρξου γενέσθαι μέγαν αὐχμὸν ὥστ' ἐκλιπεῖν ποταμοὺς καὶ λίμνας καὶ φρέατα κτλ.

nunc est qui neget[1]). Quae cum ita sint, nihil restat nisi ut Suidae fidem abrogantes illud unum pro experto habeamus Xanthum Artaxerxis tempore libros suos videri edidisse, sed, quando natus vel mortuus sit, certis annis definire absistamus; ne hoc quidem diiudicari potest, utrum Herodotum aetate praecesserit an eo inferior fuerit.

Scripsit Xanthus Suida teste Lydiaca quattuor libris. Haec, postquam temporum decursu paene oblivione obruta sunt, Dionysius quidam Scytobracchion exeunte saeculo altero ante Chr. n. novam in formam redegit, multis rebus locupletavit, Xanthi sub nomine iterum edidit[2]). Quo facto quantumcunque libri color mutatus est, tamen multa in fragmentis, quae ad nostram aetatem manaverunt, antiquitatem redolent et certissime ab ipso Xantho profecta sunt. Praeterea nonnulla fragmenta, imprimis illa, quae Strabo exhibet, ex ipso opere genuino necdum interpolato recta via fluxisse videntur, quippe cum Strabo ea ex Eratosthene aliisque hauserit, quorum aetate Xanthi libri nondum corrupti erant[3]). — Ceterum Xanthus historiam Lydiam utrum

[1]) Cfr. Muell. p. XX. Hachtm. p. 4 sqq. Creuzerus quae in editione fragmentorum statuerat ipse postea repudiavit et Muelleri sententiam amplexus est, v. H. K. p. 288.

[2]) Cfr. Welcker. in Seebodii Arch. 1830, p. 70 sqq. Kleine Schriften I, p. 431 sq. Mueller. p. XXI. Quos viros, etsi plurimis rebus iis assentior, unum tamen falso disputasse iudico. Welckerus enim probante Muellero familiam patriamque Xanthi, quas Suidas tradit, a Dionysio Scytobracchione fictas esse suspicatur ex illo Candaule, qui Herodoto teste postremus Heraclidarum in Lydia ante Gygem imperium tenuit. Atqui videmus nomen, quod est Candaules, etiam saeculo quinto a. Chr. n. in Lydia et Caria haud ita rarum fuisse, cfr. Her. VII, 98, ubi in eorum numero, qui exercitui Persarum praefuerint, afferuntur . . . Καρῶν Ἱστιαῖός τε ὁ Τύμνεω καὶ Πίγρης ὁ Ὑσσελδώμου καὶ Δαμασίθυμος ὁ Κανδαύλεω (plura de hoc nomine v. apud Hupfeld. l. l. p. 9, n. 4). Neque magis offendere debet, quod Graecum nomen (Ξάνθος) coniunctum est cum Lydio (Κανδαύλης), quae res Muellero mira videtur; cfr. locum, quem modo laudavimus, et quae hac de re monuit Gutschmidius in Mus. Rhen. IX, p. 142 n. Mea igitur sententia Xanthus noster natione erat Lydus (non Graecus, ut vult Hachtmannus l. s. a. p. 13), filius Candaulis, natus fortasse Sardibus, ita ut Alcmanis illius popularis fuerit, qui et ipse Sardibus ortus Graecis literis tantopere floruit. — Ceterum post Dionysium Scytobracchionem genuinum Xanthi opus deperiit nec quidquam remansit nisi quae hic compilator in interpolatam editionem ex eo transtulit. Quod moneo contra Creuzer. H. K. p. 289 sq. — Denique v. Murium l. a. p. 176 et 534 sq., qui, quae Athenaeus de Dionysio Scyt. narrat, pro falsis existimat neque credit veros Xanthi libros tam mature interiisse. At haec sententia caret ratione satis plena.

[3]) Goebelius in Jahrbb. f. class. Philol. vol. 93 (1866), p. 165 sq. (Nova histor. Graecor. fragmenta) ex schol. ad Il. π, 702 effici putat post no-

usque ad suam aetatem descripserit necne, parum liquet; certe Nicolaus Damascenus, quem Xanthi scrinia compilavisse verisimillimum est[1], in Croesi historia enarranda eum in usum suum convertit[2].

II.

Quaestionem, num Xanthus Herodoto in rebus Lydiis dux et auctor fuerit, nostra aetate multi saepe agitavere; tamen adhuc ea de re inter viros doctos parum convenit. Neque id mirum, quoniam propter fragmentorum penuriam haec quaestio difficillima est diiudicatu. Habemus quidem testimonium, Ephori dico, quod omnem dubitationem profligare videtur; sed multa rursus sunt, quae ei obstent. Ephorus enim Athenaeo teste meminerat Xanthi velut hominis antiquioris et qui Herodoto materiam praebuisset[3]. Quibus verbis quantum auctoritatis tribuendum est? Creuzerus quidem et Hachtmannus de fide Ephori fusius disputantes summi momenti ea esse existimant, alii contra, in quibus Dahlmannus, fidem eis habere nolunt, si argumenta aliunde petita hoc valde dissuadeant. Quarum sententiarum utra praeferenda sit, equidem non dubito; nam quamvis magna Ephori iudicio debeatur auctoritas, tamen hic scriptor in re tam dubia facillime potuit errare; adde quod ne illud quidem constat, quo loco quoque nexu sententiarum verba ab Athenaeo laudata protulerit. Itaque caventes, ne nimium iis confidamus, ante omnia ea perlustremus necesse est, quae aliunde, ex ipsis maxime fragmentis, de ratione inter Herodotum et Xanthum erui possunt.

Primum igitur Xanthi fragmenta excutiamus atque cum Herodoti narratione, quantum fieri poterit, comparemus. Hacht-

---

strum Xanthum etiam alterum fuisse, et ipsum scriptorem rerum Lydiarum. Sed cum scholiastae verba, quibus Goebelius nititur, manifesto corrupta sint, huius suspicio repudianda videtur esse.

[1]) cfr. Hachtm. l. a. p. 13 sqq. Etiam Nicolaum pro certo habeo interpolato Xantho, non integro usum esse. V. notam antec.

[2]) Hachtm. p. 13 e Strabonis loco supra citato colligit: „Xanthum res quoque sua aetate factas descripsisse“. Sed hoc argumentum infirmissimum esse Herodoti demonstrat exemplum, qui quamquam et ipse res suo tempore factas vel gestas commemorat (cfr. V, 77, VI, 98, III, 160, alios locos, quos collegit Steinius in ed. Her. vol. I, XLVI), tamen historias suas ultra annum 478 a. Chr. n. non deduxit.

[3]) Singula verba v. supra p. 27, n. 2. De vocibus quae sunt ἀφορμὰς δεδωκότος cfr. quae disputat Hachtmannus p. 6 sq., ubi aliorum etiam virorum doctorum sententiae de iis afferuntur.

mannus quidem, qui ultimus Ephori iudicium argumentis aliunde delibatis fulcire studuit, instituta tali comparatione illud non infringi iudicat; sed videamus, num recte statuerit. Atque ordiamur a fragmento, quod Muellerus posuit primum, apud Dionys. Hal. tradito: Ξάνθος δὲ ὁ Λυδὸς ἱστορίας παλαιᾶς, εἰ καί τις ἄλλος, ἔμπειρος ὤν, τῆς δὲ πατρίου καὶ βεβαιωτὴς ἂν οὐδενὸς ὑποδεέστερος νομισθείς, οὔτε Τυῤῥηνὸν ὠνόμακεν οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς δυνάστην Λυδῶν, οὔτε ἀποικίαν Μηιόνων εἰς Ἰταλίαν κατασχοῦσαν ἐπίσταται, Τυῤῥηνίας τε μνήμην ὡς Λυδῶν ἀποικήσεως, ταπεινοτέρων ἄλλων μεμνημένος, οὐδεμίαν πεποίηται. Ἄτυος δὲ παῖδας γενέσθαι λέγει Λυδὸν καὶ Τόῤῥηβον· τούτους δὲ μερισαμένους τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ἐν Ἀσίᾳ καταμεῖναι ἀμφοτέρους, καὶ τοῖς ἔθνεσιν, ὧν ἦρξαν, ἐπ᾽ ἐκείνων φησὶ τεθῆναι τὰς ὀνομασίας λέγων ὧδε· „Ἀπὸ Λυδοῦ μὲν γίνονται Λυδοί, ἀπὸ δὲ Τοῤῥήβου Τόῤῥηβοι· τούτων ἡ γλῶσσα ὀλίγον παραφέρει, καὶ νῦν ἔτι συλοῦσιν ἀλλήλους ῥήματα οὐκ ὀλίγα, ὥσπερ Ἴωνες καὶ Δωριεῖς.“ Quibuscum si contuleris, quae Herodotus narrat I, 94 (hoc caput longius est quam quod exscribam), facile invenies, quantum hae duae narrationes inter se discrepent. Namque Herodotus alterum filium Atyos vocat Tyrsenum, Xanthus Torrhebum; ille satis copiose explicat, quomodo pars Lydorum Tyrseno duce in Italiam migraverint, hic Torrhebum in parte Lydiae regnavisse auctor est. Unde equidem, ut statim, quid sentiam, ingenue proferam, Herodotum colligo Xanthi Lydiaca non modo non compilavisse, sed ne cognita quidem habuisse[1]); nam Herodotus ubicunque diversas de eadem re opiniones vel famas accepit, hanc discrepantiam commemorare videtur, sive fusius eam explicare studet sive breviter tantum significat, cfr. I, 5, 27, 95, multos alios locos. Cui argumento tamen non tantum tribuerem, nisi aliis rebus summopere adiuvaretur. Xanthus enim Lydorum regem, quem Gyges imperio deiecit, Sadyattem vocat[2]), Herodotus, ne verbo quidam indicans sibi aliud nomen in conspectum cecidisse, multis locis[3])

[1]) Argumentatio, qua Hachtmannus p. 11 sq. hoc infringere conatur, non ita comparata est, ut mihi persuadeat. Sed longius etiam a vero aberrant Creuzerus, Ryckius, alii, qui putant Xanthum aliqua causa nos latente commotum esse, ut Lydorum coloniam in Italiam deductam nos prorsus celaret (cfr. Her. ed. Baehr. vol. II, exc. III, p. 838 sqq.). Neque enim Xanthus nos quidquam celavit (quod cur faceret?), sed illa de re nihil compertum habuit.

[2]) v. Nicol. Dam. frg. 49 (Muell. fr. h. Gr. III p. 383).

[3]) I, 7, 8, 10—12.

Candaulem. Hanc quoque dissensionem, quam gravissimam esse ipse concedit, Hachtmannus contorta ratiocinatione operam dat, ut tollat; sed irrito se fatigat labore. Dicit enim fortasse eam interpolatione Dionysii Scytobracchionis ortam esse, qui, quoniam nomen Candaulis, Xanthi patris, ex antiquo illo rege finxerit, hoc nomen in ordine regum Lydiorum intermiserit atque Sadyattem pro eo substituerit. Quam argumentationem noli exspectare me pluribus confutaturum esse; neque enim nomen, quod erat patri logographi nostri, a Dionysio fictum est[1]), neque, si fictum esset, ullo modo cogitare possem, qua causa probabili adductus Dionysius veteri regi aliud nomen suo arbitrio indidisset. Ac spero omnes homines consideratos hac in re in meas transituros partes. — Tertia discrepantia inter Xanthum et Herodotum in iis statuenda est, quae de Heraclidis regno expulsis memoriae produnt. In quibus multa dissimilia inveniri ipse Hachtmannus facere non potest quin fateatur (l. a. p. 17). Omnia vero huc apponere longum est; ipse conferas, quaeso, si libet, Her. I 8 sqq. et Nicol. Dam. frg. 49 (ap. Muell. fr. h. Gr. III p. 383 sqq.). His locis perlustratis cui verisimile videatur Herodotum, si Xanthum inspexisset, tam plane eius narrationem neglecturum fuisse? — Tum valde inter se differunt, quae Her. I 92 et Nicol. p. 65 traduntur. Nam Herodoto teste Alyatti duo filii erant, Croesus et Pantaleon, Nicolao multi; Pantaleontem hic non novit. Praeterea ille homo, qui Croesum, priusquam ad regnum perveniret, tantopere offendit, ab utroque prorsus aliter describitur: apud Nicolaum mercator appellatur, qui Croeso recusaverit pecuniam dare mutuam, apud Herodotum unus ex illis, qui Pantalontis partes secuti Croesum ab imperio prohibere voluerint; simili modo totae eorum narrationes diversae sunt. Quod quomodo fieri potuit, si alter alterum consuluisset? — Denique Herodotus c. 95 in Lydia negat res mirabiles inveniri praeter pulverem aureum, qui e Tmolo ablueretur. Contra Xanthi fragmenta 3 et 4 hunc logographum haud pauca mirabilia de patria sua narravisse docent. Quae Herodotum, si eum ante oculos habuisset, procul dubio non effugissent[2]).

[1]) v. s. p. 28, n. 2.

[2]) cfr. quae contra Creuzerum recte monuerunt Dahlmannus l. a. p. 121 sq. Roggius p. 107 sq. Hupfeldius p. 2, n. 5.

Haec inter Herodotum et Xanthum non congruunt[1]); iam accedamus ad reliqua Hachtmanni argumenta, quorum adhuc rationem non habuimus, quam paucissimis refellenda. Quae maximam partem nihil comprobare statim intelleges, si in universum argumentandi rationem, qua vir doctus usus est, paullo accuratius circumspexeris. Colligit enim diligenter similia, quae apud Herotum et Xanthum leguntur, multumque ea valere arbitratur ad solvendam quaestionem, num huius scripta ille consuluerit. Quod ego ab arte critica recte tractanda alienissimum duco. Nam duos scriptores, qui eadem tempora, eiusdem populi historiam tractent, multis rebus[2]) inter se convenire, etiamsi alter alterius ne nomen quidem cognoverit, quis est qui miretur? Nonne id consentaneum est et in ipsa rerum natura consistit? Num quid aliud omnino cogitari potest? In iisdem vero si praeter illas similitudines multa etiam deprehenduntur, quibus prorsus dissentiunt, nec usquam alter alterius mentionem facit aut tecte eum ostendit, nonne hoc gravissimum est argumentum utrumque eorum suis viribus stare? — Exemplis haec uberius explicare et singulas Hachtmanni expositiones refellere supervacaneum videtur; conferas cum iis, quae modo disseruimus, Hachtm. l. l. p. 11 sq. 16 sq. 19. — Nec tamen illos locos silentio praeteribo, ubi vir doctus Herodotum verbo tenus Xanthum secutum esse existimat. Legimus apud. Her. I, 13 haec: τοσόνδε μέντοι εἶπε ἡ Πυθίη, ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω. Ad quae proxime accedunt verba Nicolai p. 60: Θεὸς δ' ἐκέλευσε τοσόνδε προειπών, ὅτι τοῖς Ἡρακλείδαις εἰς πεμπτὴν γενεὰν ἥκοι τίσις παρὰ τῶν Μερμναδῶν. Sed hic consensus num quid probat? Nonne necesse erat idem oraculi responsum traditiones quamvis diversae iisdem paene verbis traderent? Ne illud afferam multo verisimilius esse Nicolaum

[1]) Addi potest apud Nic. Dam. frg. 63 patrem Sadyattis nominari Alyattem, apud Herodotum (c. 15 sq.) Ardyem, quod ad errorem excerptoris referendum esse cum Muellero et Hachtmanno nullo pacto temere sumendum est. Nam Xanthus ut pro Candaule nominasse videtur Sadyattem, sic etiam Sadyattis patri aliud nomen potest dedisse; Ardyem num omnino cognoverit, e fragmentis certo nequit intellegi. Floigl, Cyrus und Herodot (Leipz. 1881), p. 134 sqq. Xanthi vel Nicolai et Herodoti relationes inter se conciliare studet; prave, ut mihi videtur. Sed hanc in rem altius descendere ab hoc loco alienum est.

[2]) De verbis hoc loco non sermo est; haec si similia vel eadem sunt, sane habes, cur stupeas. Sed verba Herodoti et Xanthi nusquam miro modo inter se congruunt. Cfr. quae statim exponemus.

hoc oraculum ex Herodoto delibavisse quam hunc e Xantho; nam Herodotus haud dubie totam hanc narrationem debet sacerdotibus Delphicis (cfr. exitum huius paginae). — Postremo Hachtmannus affert Her. I 86 et Nicol. frg. 68, ubi Croesi vindicta per Apollinem facta iisdem fere verbis describitur. At primum admodum dubium est, num re vera Nicolaus haec, quae cum Persarum historia artissime cohaerent, e Xantho hauserit, deinde Hachtmannus ipse concedit hic quoque nonnullis rebus Nicolaum ab Herodoto discrepare, denique nihil fieri potuit facilius quam ut vel Dionysius Scytobracchion vel Nicolaus Croesi miseram sortem depingentes Herodoti verba imitarentur, cum omnia illa ex Xantho fluxisse nullo modo credibile sit[1]).

Quae modo contra Hachtmannum exposuimus, in praesentia sufficiant; neque enim mihi proposui, ut omnia, quae vir doctus falso disputasse videatur, hoc loco confutem, sed ut solum gravissimum quidque tangam et quod ad quaestionem nostram maxime pertineat. Jam, quoniam Xanthi fragmenta perlustravimus, ipsam narrationem Herodoteam breviter contemplemur atque ex ea per se spectata quid colligi possit videamus. Tractantur ab Herodoto res Lydiae I, 6—22. 25—55. 69—94; explicat ibi Lydorum historiam inde a Candaule usque ad expugnationem Sardium per Cyrum factam. Sed omnium copiosissime Croesi res gestas enarrat, cum priores reges breviter perstringat. Et accuratius si eum perlegeris, facile invenies a primo ad extremum per totam illam expositionem Herodotum oraculum Delphicum respicere, cfr. c. 13 sq. 19. 25. 46 sqq. 50 sq. 53 sqq. 85. 90 sqq. Unde efficitur

[1]) Nicolaum etiam alio loco cum Herodoto maxime consentire videmus, cfr. frg. 71 et Her. V, 12. Haec Muellerus primo Creuzeri auctoritate commotus e Xantho fluxisse opinatus est eaque de causa in huius fragmentis enumeravit (frg. 8). Sed re iterum perpensa aliter statuendum esse cognovit, cfr. eius adnot. ad Nicol. frg. 71 (Fr. h. Gr. III, p. 143 sq.). Ibi dicit Nicolai narrationem non e Xantho, sed ex alio nescio quo auctore depromptum esse; quem equidem Herodotum esse pro explorato habeo. Arbitror enim iam Dionysium Scytobracchionem ea ex Herodoto in Xanthi verba inseruisse paucis mutatis et rebus et nominibus. — Ceterum ratio, quae intercedit inter Xanthum et Nicolaum, nondum satis cum ea, qua par est, diligentia examinata est, sed denuo copiosius, quam adhuc factum est, tractanda videtur (quam incerta haec res sit, vel inde intellegitur, quod Murius l. a. p. 174 et 534 sqq. vehementer dubitat, num Xanthi opus ultra Gygis tempora descenderit atque Nicolaus eo potissimum usus sit). Quo facto etiam de ratione, quae exstat inter Xanthum et Herodotum, certius quam nunc iudicari poterit.

eorum, quae tradat, plurima eum sacerdotibus Delphicis debere; quin disertis verbis hoc indicat c. 20, quo ineunte dicit: Δελφῶν οἶδα ἐγὼ οὕτω ἀκούσας γενέσθαι. Alia autem multa ex Milesiis percontatus est, quod non modo diligentia illa docet, quacum bella a regibus Lydiis, imprimis Alyatte, cum iis gesta enarrat, sed etiam ipse data occasione confitetur, cfr. c. 20: Μιλήσιοι δὲ τάδε προστιθεῖσι τούτοισι κτλ. — Adde quod ipsos quoque Lydos consuluit (v. c. 94: φασὶ δὲ αὐτοὶ Λυδοί κτλ.) Lydiamque procul dubio ipse permigravit (cfr. c. 93). Quae omnia si tecum reputaveris, nonne tibi quoque apertum atque perspicuum videbitur, quod mihi iam pridem persuasum est, Herodotum in historia Lydia enarranda ex aliis rerum scriptoribus sumpsisse nihil?

Vidimus igitur, Xanthi fragmenta si cum Herodoto comparemus, multa docere utrumque suis viribus stare neque Hachtmanni argumenta, quibus Ephori iudicium sustentare studeat, ullo modo probari posse. Quocirca nihil iam restat nisi ut illo abiecto aut Ephorum erravisse aut ab Athenaeo verba eius prave intellecta esse statuamus.

§ 3.

De Hellanico Lesbio[1]).

I.

Pamphila teste[2]) Hellanicus natus est anno 496 a. Chr. n., auctore vitae Euripidis[3]) eodem die, quo Euripides, a. 480; praeterea Lucianus[4]) tradit eum vixisse annos octoginta quinque. Sed illorum, quos primo loco attuli, neutri viri docti recte statuerunt[5]) confidendum esse; ipsi vero de aetate Hellanici in diversas discesserunt sententias. Muellerus enim circumscribit eam

[1]) Cfr. p. 5, n. 4. — Westerm. in Paul. Enc. R. III, p. 1106 sq. — Preller, De Hellanico Lesbio historico (Vermischte Aufsätze p. 23—68). — Bass, Ueber das Verhältniss Herodots und Hellanikos, (Wiener Studien I, p. 161—68).

[2]) Gell. Noct. Att. XV, 23.

[3]) Βίος Εὐριπίδου in Westerm. βιογρ.

[4]) De Macrob. III, p. 224 R.

[5]) Diels. in Mus. Rhen. XXXI, p. 47 sqq. — Mueller. l. l. — de Wilamowitz-Möllendorf in Herm. XI, p. 291 et 294. — Aliter iudicat unus Islerus in Jahrbb. f. class. Philol. vol. 103 (1871), p. 115 sq.; falso, ut videtur. Sed hoc pluribus demonstrare non nostrum est.

annis 482 et 397, Wilamowitzius contra logographum nostrum multo posteriorem ponit, cum eum Thucydidis aequalem fuisse sibi persuaserit[1]), Clausenius[2]) denique hanc rem plane in incerto relinquit. Atque ut meam statim proferam sententiam, illud pro comperto habeo Hellanicum ultra annum 405, quo pugna ad Arginusas commissa est, vitam extendisse (cfr. frg. 80), sed librum, quo Atticam historiam breviter comprehendit, antequam Thucydides libros suos conscriberet, publici iuris fecisse (cfr. Thuc. I, 17); quo autem tempore natus, quo mortuus sit, nisi in universum definiri non potest. Tamen sententia Wilamowitzii mihi verisimillima videtur, quam si sequimur, Hellanicus natus est intra annos 460 et 450 et exeunte saeculo quinto vel ineunte saeculo quarto vita decessit[3]).

Libros Hellanicus conscripsit plurimos, etsi iure conicimus multorum qui citantur[4]) titulorum complures saepe ad idem opus spectare; qua de re accurate egit Muellerus, accuratius etiam Prellerus. Hoc iudice logographo nostro haec tribuenda sunt: 1) opera genealogica, Deucalionea, Phoronis, Atlantis, Troica. 2) opera chorographica, Atthis, Aeolica sive Lesbica, Persica. 3) scripta chronologica, Sacerdotes Junonis Argivae, Carneonicae. Contra ab Hellanico abiudicat Aegyptiaca, Nomima Barbarica, Ἐθνῶν ὀνομασίας, Περὶ ἐθνῶν, Scythica, Cypriaca[5]). — Eadem fere sententia est Muellerus[6]) nisi quod scripta genealogica alio ordine praebet iisque Atthidem quoque adiungit[7]). — Vides igitur Hellanicum fuisse scriptorem multorum librorum et qui longinqua itinera susceperit. Nam Atthidem, Sacerdotes Junonis Argivae, Carneonicas, alia eum componere non potuisse, nisi ipse Athenis, Argis, Lacedaemone, multis aliis locis aliquamdiu versa-

---

[1]) l. a. . . . Tenemus Hellanicum Mytilenaeum aequalem fere Thucydidis fuisse, nati aliquot annis ante 454.

[2]) cfr. Thuc. ed Classen v. I³, p. XV, n. 8: Der Ansatz (der Pamph.) über Hellanikos wird nicht eher mit Sicherheit zu beurteilen sein, ehe die Untersuchungen über sein Verhältniss zu Herodot und die Zeit seiner Schriftstellerei ein sicheres Resultat gewonnen ist.

[3]) Luciani testimonium ego quoque parvi aestimo.

[4]) imprimis apud Steph. Byzant.

[5]) cfr. Preller. l. a. p. 26 sqq. [6]) l. l. p. XXXIV, n.

[7]) Etiam de ratione, quae intercedit inter Hellanicum et Appollodori bibliothecam, Prellerum parum recte putat iudicasse; is enim (p. 29 sqq.) Apollodorum statuit in rebus suis disponendis Hellanicum secutum esse, Muellerus contra potius Pherecydem.

tus esset, nemo est qui non primo obtutu intellegat. Sed Persarum regnum, Babyloniam, Assyriam, Aegyptum, cetera adiisse non videtur[1]. — Jam pauca monenda sunt de iis Hellanici scriptis, quae falso eius nomini assignata esse viri docti statuerunt. Quorum e numero imprimis affero Nomima Barbarica, quae Porphyrius[2]) testatur compilata esse ex Herodoto et Damaste. Ac re vera fragmentum, quod inde nobis servatum est (frg. 173 ap. Muell.), mirum quantum convenit cum Her. IV, 93. Quae cum ita sint, aut recte iudicavit Porphyrius, aut posteriore aetate homo aliqui opus, de quo sermo est, ex Herodoto et Damaste, fortasse etiam ex aliis scriptoribus consuit, ut ita dicam, consutumque sub Hellanici nomine edidit, aut denique hic ipse tale scriptum, cui inscribebatur Νόμιμα Βαρβαρικά, composuit, quod postea multis additamentis ex Herodoto et Damaste delibatis ab interpolatore auctum est. Quod primum dixi, parum verisimile esse monuit iam Prellerus, qui rectissime dicit (p. 27): „Tantam impudentiam qui iam priscis illis temporibus tribuit, ubi tanta undique ad homines rerum cognoscendarum studiosos materies affluebat, ut prima quaeque notare scriptisque condita divulgare quam ornatum ullum sermonis addere resque passim conquisitas ad iustam narrationis formam edolare mallent, is videat ne vehementer fallatur[3])“. — Tertium probare studuit Muellerus (assentiente Bassio l. l. p. 162), cuius ex sententia homo nescio qui serioris aetatis Hellanici Nomima Barbarica valde interpolavit[4]) (simili modo quo Dionysius Scytobracchion immutavit Lydiaca Xanthi); praeterea putat huius operis partem fuisse Aegyptiaca, quae et ipsa Hellanico iniuria tribuantur[5]). Quin omnia illa scripta, quae citantur περὶ ἐθνῶν, ἐθνῶν ὀνομασίαι, κτίσεις, Σκυθικά,

[1]) v. Preller. p. 25 sq. 47 sq.

[2]) ap. Euseb. praep. ev. IX, 39.

[3]) Accedit quod frg. 173 manifesto fluxit ex Herodoto, quippe qui ipse a Graecis ad Pontum habitantibus se sua audivisse diserte addat.

[4]) Cfr. Muell. l. a. p. XXX sq., imprimis p. XXXI haec verba (correcta in vol. IV, p. 624): . . . Instituta Barbarica, quae postea denuo aliquis edidit, ut ita dicam, h. e. hoc opere eiusque adornatione atque vetere Hellanici nomine usus est, ut historiarum farragini ex Amelesagora, Herodoto, Damaste, aliis corrasae atque philosophicis suis doctrinis in Aegyptiacorum libro expositis fidem et auctoritatem conciliaret (Amelesagoras falso affertur, v. infra p.).

[5]) Gutschmidius l. s. p. 6, n. 1. allato ea inter annos 318 et 226 a. Chr. n. composita esse censet; fortasse Hellanicum de Aegypto aliqua scripsisse, sed pro certo id contendi nequire.

Κυπριακά, ἡ εἰς Ἄμμωνος ἀνάβασις, vir doctissimus sibi persuasit nihil esse nisi partes Institutorum Barbaricorum[1]). — Haec Muelleri coniectura, quam primo confiteor audaciorem mihi visam esse, nunc admodum mihi arridet et re iterum diligenter deliberata omnium, quae mihi in mentem venerunt, videtur mihi probabilissima[2]).

II.

Supra vidimus a Porphyrio tradi Hellanicum pendere ex Herodoto; sed potestne contrarium accidisse, potestne Herodotus hausisse ex Hellanico? Hanc quaestionem, quam alii iam diligenter excusserunt, ego leviter solummodo perstringam, praesertim cum post Bassii hac de re commentationem nemini dubium fore existimem, quid de ea statuendum sit. Comparavit enim vir doctus Hellanici fragmenta singula cum historiis Herodoti atque invenit nullam inter ea exstare similitudinem, immo plurimas discrepantias, quapropter alter alterum ne nosse quidem potuerit. Eandem sententiam iam ante Bassium Dahlmannus, Prellerus, Baehrius, Westermannus professi erant; eamque rectissimam esse, quisquis in hanc rem paullo accuratius inquisiverit, facile sibi persuadebit. Sed pauca de Bassii dissertatione mihi monenda videntur. Primum quidem ratio, qua utitur, argumentandi non est ab omni parte apta et recta; nititur enim persaepe argumentis quae dicuntur ex silentio; haec vero parvi momenti vel nullius esse, in primis in rebus ad geographiam spectantibus, nemo ignorat. Nam Herodotum consentaneum est, etiamsi Hellanicum in usum suum convertisset, tamen omnia, quae ibi invenisset, reddere non potuisse. Deinde quae disputat (p. 163) de primo Hellanici fragmento, quod ad rationem inter Herodotum et Hellanicum cognoscendam plurimum valet, partim sunt falsa et perversa. Neque enim Croton urbs, cuius in illo fragmento mentio fit, eadem est atque patria Democedis, quippe quae sita non sit ἐν μεσογείῳ, neque Tyrrheni, quos Herodotos I, 57 memorat, pro Thracibus sunt habendi. Immo ex Steinii ad hunc locum praeclara adno-

[1]) Similia iam indicavit Prellerus l. l.

[2]) Ex genuino opere tenendum est multa in interpolatum translata esse cfr. frg. 94, 95, 101, alia, quae antiquitatem redolere quis est qui non videat?

tatione evidentissime efficitur Herodoti verba referenda esse ad Tyrrhenos in Etruria habitantes Crestonemque nomen eam urbem significare, quam Hellanicus appellat Crotonem, Romani teste Dionysio Cortonam. Itaque duplicem inter Herodotum et Hellanicum statui oportet discrepantiam, cum et urbi illi Etruriae diversa nomina imponant et de Tyrrhenis res narrent maxime inter se differentes[1]).

§ 4.

De Charone Lampsaceno[2]).

I.

Ex omnibus, quae de Charonis aetate ac vita scriptores veteres tradunt, certissime elucet eum paullo maiorem natu fuisse quam Herodotum. Sed plura e testimoniis, quae nobis praesto sunt, elicere noli; mihi quidem persuasissimum est id frustra nos conaturos ac, quae de hac re pluribus exposuerunt Creuzerus[3]) et Neumannus[4]), nihil esse nisi vanas hariolationes[5]).

De scriptorum Charonis inter viros doctos maxima fuit dissensio et numero et titulis et ingenuitate. Suidas enim s. v. Χάρων multa enumerat opera, quae omnia a Nostro profecta esse nequire nemo est quin primo cognoscat aspectu. Quamobrem quaestio oritur, quaenam eorum genuina sint, quae subdita vel aliis scriptoribus eiusdem nominis assignanda. Atque ego confiteor me nulli illorum virorum, quos infra n. 2 attuli, prorsus assentiri, ne Neumanno quidem, qui postremus hanc quaestionem attigit. Is enim contendit scripta genuina haec esse: 1) Αἰθιοπικά et Λιβυκά (qui duo tituli unum idemque opus significent) 2) Περσικὰ ἐν βιβλίοις δ' 3) Ἑλληνικὰ ἐν βιβλίοις δ' 4) Ὧροι Λαμψακηνῶν ἐν βιβλίοις δ' (quod opus divisum fuerit in duas partes περὶ Λαμψάκου β', πρυτάνεις (ἢ ἄρχοντες) οἱ τῶν Λαμψακηνῶν) 5) Κτίσεις πόλεων

[1]) Inde etiam Niebuhrium (Roem. Gesch. I^3, p. 30, n. 89) intellegitur falso coniecisse Herodotum, quae I 57 exponeret, ex Hellanico sumpsisse.

[2]) V. p. 5, n. 4. — Creuzer. Hist. Gr. ant. frgg. p. 89—132. — Westermann. in Paul. Enc. R. II, p. 1291. — Gutschmid. in Philol. X, p. 532 sqq. — Neumann, De Charone Lampsaceno eiusque fragmentis commentatio. diss. Vrat. 1880.

[3]) Hist. frgg. p. 89—95. [4]) p. 6—12.

[5]) v. supra p. 7, n. 2.

ἐν βιβλίοις β'; spuria contra existimat: Κρητικά; περίπλουν τὸν ἐκτὸς τῶν Ἡρακλείων στηλῶν; τοὺς ὑπὸ Μίνωνος νόμους τεθέντας. — Hanc viri docti sententiam operae pretium videtur breviter examinare. Recte quidem Neumannus Κρητικά e. q. seq. a nostro Charone abiudicat nec minus recte eum negat de Lacedaemoniis libellum composuisse; sed vereor ne nihilominus nimis multa ei ascribat. Primum enim Aethiopica vel Libyca ab eo aliena esse videntur atque illi Charoni attribuenda, qui dicitur Naucratites, auctori complurium librorum de Aegypto conscriptorum[1]); nam Nostrum parum verisimile est tale opus confecisse. Sed etiamsi res aliter se habeat, certe argumenta, quibus Neumannus Aethiopicis eius non de Libya, sed de India disputatum esse demonstrare studet, plane perversa atque absurda sunt. Repetit enim, quae Schwanbeckius loco quodam[2]) disseruit de confusione inter res Indicas et Libycas a scriptoribus veteribus facta: sed haec etsi probari possint, id quod nego[3]), quid sibi volunt? Num Charon ideo, quod scriptores serioris aetatis hic illic res Indicas falso ad Libyam transtulerunt rursusque ad Indiam Libycas, opus edere non potuit nisi de India? Adde quod Neumannus perparum sibi constat: p. 19 Schwanbeckium secutus recte animadvertit „Alexandri quoque aetate Indiae et Aethiopiae propriae notitiam tenuissimam fuisse", contra p. 20 legimus „. . . India . . . , quae notissima erat terra iam tum temporis, quo Charonem vixisse et scripsisse constituimus"! Ineptissima vero videntur, quae paullo post dicit: „Neque hoc est praetermittendum, quod Περσικῶν scriptores Indicarum rerum brevem narrationem addere solebant, quod non solum Ctesias fecit, sed etiam Dinon; verisimillimum esse ego meo iure contendo Charonem quoque, Περσικῶν conditorem, in Aethiopicis vel Libycis brevem hanc solitam ut ita dicam Indiae descriptionem praemisisse praefationis instar". Quo quid potest esse confusius? Ne repetam de India Charonis aetate perpauca nota fuisse, quomodo ad hunc referre licet, quae Ctesias et Dinon fecerunt, qui viri Persarum historiam multo uberius quam ille

[1]) Cfr. Suid. s. v.: Χάρων Ναυκρατίτης, ἱστορικός· Ἱερεῖς τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᳳ καὶ τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ καὶ τὰ ἐπὶ ἑκάστου πραχθέντα κτλ. . . . καὶ ἄλλα τινὰ περὶ Αἰγύπτου. cfr. Muell. Fr. h. Gr. vol. IV, p. 360.

[2]) De Megasthene rerum Indicarum scriptore. diss. inaug. (Bonn. 1845) p. 1 sqq.

[3]) v. Baehr. ad Her. IV, 167 et 192, cui assentior.

tractaverunt ipsaque de India multo plura cognita habuerunt? Atque ubi invenimus librum, ubi de India agatur, non Ἰνδικά inscribi, sed Αἰθιοπικά vel Λιβυκά?

Deinde Hellenica cum Muellero et Schaefero dubito num proprium opus fuerint nec potius idem quod Ὧροι Λαμψακηνῶν. Hanc contra sententiam quae profert Neumannus (p. 47), nullius momenti sunt; contra facillime fieri potuit, ut loco aliquo, ubi Persicis Charonis reliqua eius scripta opponebantur, haec illo titulo (Ἑλληνικά) citarentur.

Itaque Charon mea sententia composuit opera tria: Περσικά, Ὧροι Λαμψακηνῶν, κτίσεις πόλεων.

Jam paucis refutabo falsas opiniones, quas viri docti[1]) habent de moribus et ingenio Charonis. Putant enim Chiorum gratiam eum captasse atque in universum ea, quae Graecis molesta fuerint, quantum fieri potuerit, silentio praeteriisse; hoc docere fragmenta 1 et 2[2]). Sed mihi id plane fictum videtur: e fragmentis allatis nihil colligi potest nisi, id quod propter librorum eius ambitum per se exspectandum est, Charonem res multo brevius ennaravisse quam Herodotum; contra eum consulto nonnulla reticuisse cave ne ipse inconsulto concludas. Nec aliter iudico de fragmento tertio, de quo Neumannus (p. 31. cfr. Muell. p. XVIII): „Postremo si reputamus Charonem in brevissima Persarum historiae narratione de leprosis columbis verba fecisse, immo Herodotum nihil de hac re tradidisse, avidissimum illum fuisse in captandis narrandisque prodigiis et portentis constat.“ Haec coniectura me certe iudice admodum vana ac dubia est; eodem iure quidlibet aliud e Charonis verbis colligi potest[3]). —

[1]) exceptis Murio l. a. p. 168 et Schroedero l. supra (p. 3, n. 1) l. p. 14, quos unos video recte iudicare.

[2]) cfr. Sevin. ap. Neum. p. 24, n. 9. — Dahlmann. p. 117: Charon gehörte zu den leichtgläubigen und dabei Menschen-gefälligen Historikern; p. 118: Der Lampsakener mag ein sehr lieber Nachbar gewesen sein, der es mit Niemanden gern verdarb, allein der Geschichtschreiber muss den Muth zu missfallen haben. — Rogge l. l. p. 84 et 98. — Neumannus rem etiam exaggeravit (p. 24): . . . Quod cum factum esset, Chiis opprobrio verti poterat, quod hospitem et supplicem Pactyam Cyro tradi passi erant, id quod Charon quamquam de hac re instructus erat tradere noluit, ne populares infestos sibi redderet; quare Charonis locus ad Herodotum incriminandum adhiberi nequit, quod in Chiorum gratiam scriptus longe abest a veritate.

[3]) Omnino hominis prudentis et cauti non esse arbitror pauca fragmenta,

Denique huc pertinent, quae Neumannus (p. 35) de fragmento quinto dicit; cuius verba, ut quid agatur melius perspicere possis, huc apponam: „Quamquam in hac re nihil certo iudicio discerni poterit, tamen mihi videtur verisimile esse, fugam hanc (Themistoclis) memoratam fuisse minus in Hellenicis quam in Persicis ea de causa fortasse, quod Charon, ut Mytilenaeorum et Chiorum animos laedere noluerat, ita in Hellenicis a Graecis lectitatis reticuit ingratissimum Graecorum et crudelissimum facinus in Themistoclem commissum, qui cet. cet.“ . . . . „Ut Graecis Themistoclis sors opprobrio verti poterat, ita Persis honestissimum fuit, quod cet.“ At Persica illa Charonis num scripta erant in Persarum usum?! Num minus quam Hellenica i. e. Ὧροι Λαμψακηνῶν Graeca lingua composita Graecisque lectoribus destinata erant? Ne dicam de absurditate totius Neumanni coniecturae, quam omnes repudiaturos esse spero atque confido.

II.

Ad solvendam quaestionem, num Herodotus Charonem consuluerit, plurimum valent fragmenta 1, 2, 4. Primo loco agitur de Pactye quodam, qui frustra Lydorum seditione mota Mitylenas confugerit et inde postea Chium, ubi Cyrus eo potitus sit. Quibuscum si comparaveris Her. I, 153—160, non iam dubitabis, quin suis viribus stet Herodotus. Nam huius narratio multo copiosior est quam Charonis nec ulla parte ex ea pendere potest. Idem cadit in fragmentum 2; hic quoque Charon satis habet summa tantum rerum lineamenta dedisse, cum Herodotus eas narret diligentissime. Quarti denique fragmenti suspicari licet non aliam esse rationem, ita ut Charon Astyagis somnium multo brevius exposuerit quam Herodotus. Quibus de causis haud temere iudicare nobis videmur, cum alterum eorum alteri in historia Persarum describenda quidquam debere negamus; etsi eadem de re egerunt, tamen Herodotus Charonem natu maiorem non consuluit, quia ipse in itineribus suis materiam multo collegerat uberiorem[1]). — Itaque Herodotus si omnino Charone usus sit,

quae quo in sententiarum nexu scripta sint plane ignoremus, tantopere urgere multaque ex iis temere conicere.

[1]) cfr. Baehr. ad Her. I, 160 et in vol. IV, p. 433. — Dahlm. l. l. — Neum. l. l. pag. ult., qui omnes nobiscum consentiunt. Alia sententia

reliqua eius opera, quae inscribebantur Ὧροι Λαμψακηνῶν et Κτίσεις, in manibus habuisse debeat. Sed ne hoc quidem probari posse iam docuerunt Creuzerus[1]) et Dahlmannus[2]). Quorum hic rectissime animadvertit Herodotum, si Charonis de Lampsaco scripta cognita habuisset, nullo modo VI 37 talia traditurum fuisse, qualia ibi legamus. Addo mihi nusquam apud eum locum occurrisse, unde de Lampsaco locisque ei finitimis colligi possit eum plura scivisse quam de aliis regionibus Graecis.

§ 5.

De Scylace Caryandensi[3]).

De nullo fere logographorum difficilius est certam pronuntiare sententiam quam de eo, ad quem nunc transgressuri sumus, Scylace Caryandensi. Nam quacunque ratione quae de eo tradita sunt explicare studebis, utique summae tibi occurrent difficultates nec quidquam confici poterit sine coniecturis magis minusve audacibus. Quare evenit, ut virorum doctorum sententiae de quaestionibus ad Scylacem pertinentibus aliquantum inter se discrepent nec ulla adhuc prolata sit, quae omnium consensu probetur. Atque equidem iis diligenter perpensis fateri coactus sum nullam mihi tantopere placere, ut in ea acquiescendum esse putem, sed necessarium mihi videtur, rem denuo perscrutari novasque coniecturas facere, quibus futurum esse spero, ut difficultates facilius tollantur diversaeque traditiones melius fortasse inter se concilientur.

Constat inter omnes Scylacis sub nomine periplum maris interni ad nos pervenisse, ad quem etiam paucissima illa fragmenta referenda sunt, quae apud Strabonem invenimus, scholiastam

solus est Murius (l. a. p. 167 sq. 306 sqq.), quem iam satis refutavit Rawlinsonius (l. a. p. 37, n. 4).

1) p. 108 sqq.

2) l. a. p. 119.

3) Cfr. p. 5, n. 4. — Ukert, Geogr. d. Gr. u. R. I, 2, p. 285 sqq. — Klausen, Hecat. fragm. et Scylacis Caryand. periplus. Berol. 1831, p. 254—74. — Westerm. in Paul. Enc. R. VI, p. 891 sqq. — Forbiger, Handb. d. alt. Geogr. I, p. 63 sq. 113 sqq. — Schwanbeck, De Megasthene rer. Indicar. scriptore p. 1—11. — Gutschmid. in Mus. Rhen. IX, p. 141 sqq. — Mueller, Frgm. h. Gr. III, p. 183. Geogr. Gr. min. I, p. XXIII—LI. — Baehr. in excursu ad Her. IV, 44 (vol. II, p. 723 sq.). — A. Schäfer, Quellenk. p. 44.

Apollonii Rh., Constantinum Porphyrog. Alia contra fragmenta ex alio libro Scylacis fluxisse videntur, qui de India egit. Denique auctores veteres, Herodotus (IV 44), Strabo, Stephanus Byz., alii de Scylace vel potius Scylacibus nonnulla memoriae prodiderunt. Quae omnia hic exscribere et longum et supervacaneum est, cum Muellerus (Geogr. Gr. m. I, p. XXIII sqq.) ea optime collegerit; quem ipse, quaeso, inspicias. Equidem satis habeo Suidae unius verba huc apposuisse, quippe quae saepius nobis respicienda sint: Σκύλαξ Καρυανδεὺς (πόλις δέ ἐστι τῆς Καρίας πλησίον Ἁλικαρνασσοῦ τὰ Καρύανδα), μαθηματικὸς καὶ μουσικός. Περίπλουν τῶν ἐκτὸς τῶν Ἡρηκλέους στηλῶν. τὰ κατὰ τὸν Ἡρακλείδην τὸν Μυλασῶν βασιλέα· γῆς περίοδον· ἀντιγραφὴν πρὸς τὴν Πολυβίου ἱστορίαν.

Jam videamus, quae viri docti ex locis, quos modo indicavimus, concluserint. E quibus primus mihi afferendus est Klausenius, quem si sequimur, Scylas quidam Caryandensis, fortasse pronepos illius, de quo apud Herodotum sermo est, et periplum nostrum scripsit (ca. Ol. 101) et de India, fortasse etiam de Heraclida, rege Mylasensi. Contra Schwanbeckius sumit non peripli auctorem, sed Scylacem, quem memoret Herodotus, de India opus composuisse; eum secutum esse in terra illa describenda Hecataeum Milesium, Hecataeum Herodotum (III, 98—106). Gutschmidius deinde Suidae verbis excussis tres Scylaces opinatur discernendos esse: primum, qui Herodoto teste Darei iussu expeditionem in Indiam fecerit duoque scripta ediderit, περίπλουν τῶν ἐκτὸς τῶν Ἡρακλέους στηλῶν et τὰ κατὰ τὸν Ἡρακλείδην τὸν Μυλασῶν βασιλέα, alterum, qui ca. a. 360 a. Chr. n. periplum nobis servatum composuerit, tertium, cui ἀντιγραφὴ πρὸς τὴν Πολυβίου ἱστορίαν assignanda sit (ca. a. 140 a. Chr. n.). Denique Muellerus probare studuit Scylacem Herodoteum scripsisse cum de India, quem libellum Herodotus non consuluerit, tum periplum maris interni, ad quem fragmenta a Strabone, scholiasta Apoll. Rh., Constantino Porph. tradita referenda sint; periplum autem, qui usque ad nostram aetatem manaverit, a personato Scylace, qui veteris illius logographi nomen celeberrimum speciei gratia finxerit, profectum esse atque ortum intra a. 339 et 336. Praeter hos fuisse duos alios Scylaces, mathematicum et musicum, qui contra Polybium scripserit ac de Heraclida, regulo Carico, et

eum, qui a Cicerone laudetur, etsi facile fieri possit, ut hic ab illo non sit diversus.

En sententias tantopere inter se discrepantes, quas homines docti adhuc protulerunt. Jam fusius exponendum erit, cur nullam earum a me impetrare possim ut probem; simul vero illa quoque afferam, quae ipse de his rebus statuenda esse duco. — Ruamus igitur statim mediam in rem et ab eo Scylace initium capiamus, cuius mentionem facit Herodotus: num hic re vera libros composuit, ut viri docti praeter Klausenium contendunt omnes? Imprimis regiones Indiae num re vera proprio libello depinxit? Minime; equidem non dubito hoc prorsus infitiari; mea sententia vetus ille Scylax ne verbum quidem scripsit, nedum ei tantam auctoritatem assignem, quantum Gutschmidius ei parare vult[1]). Nam primum quidem manifestum est Herodotum scriptorum eius ignarum fuisse[2]); at certissime ea cognita habuisset, omnino si exstitissent. Ignorare potuit Charonis scripta, ignorare Xanthi, ignorare Hellanici; nam hi omnes ei

[1]) cfr. l. l. p. 144: . . er ist, wenn nicht Alles trügt, der erste unter diesen (den Logographen), der einen gleichzeitigen historischen Stoff behandelte, ja vielleicht sogar der erste, der den mythischen Boden verliess und den der wirklichen Geschichte betrat.

[2]) Quae Herodotus narrat III, 98—105, omnia a Persis audivit (cfr. c. 105: τὸν μὲν δὴ πλέω τοῦ χρυσοῦ οὕτω οἱ Ἰνδοὶ κτῶνται, ὡς Πέρσαι φασί); ipse in illas regiones nunquam pervenit. Quare quam commodum ei fuisset Scylacem de iis consulere, si qua ab hoc scripta essent! Sed tantum abest, ut Herodotus eo usus sit, ut loco illo maxime ad hoc idoneo (IV, 44) ne minimo quidem indicio libros eius ostendat. — Falsissimum vero est, quod Schwanbeckius l. a. demonstrare studet, Herodotum quae de India exhibeat hausisse ex Hecataeo, Hecataeum e Scylace. Contra quae affero haec. Primum nusquam probari potest Herodotum ex Hecataeo hausisse nomine eius non allato, cfr. supra p. 27. Deinde convenientiae inter Scylacem et Hecataeum atque Herodotum et paucissimae sunt et minimi momenti, multo maiores contra discrepantiae. Nihil enim Hecataeo commune est cum Scylace nisi quod uterque prope Indum tradit herbam inveniri, cui nomen erat κινάρα. Contra de Sciapodibus et Pygmaeis inter se differunt; nam Hecataeus in Libya dicit eos habitare, Scylax in India. Nec alia ratio intercedit inter Hecataeum et Herodotum: uterquen omen habet, quod est Καλατίαι, ac memorat Indiae deserta arenosa, sed discrepant in nomine urbis cuiusdam, quam ille vocat Κασπάπυρον, hic Κασπάτυρον. Ceterum similia nomina apud duos scriptores exhibita raro argumento esse possunt alterum ex altero pendere. — Postremo multos populos, qui e Scylacis Indicis laudantur, apud Herodotum frustra quaesiveris, in quibus ex. gr. sunt Ὠτολίκνοι, Μονόφθαλμοι, Ἐνωτοκοῖται, alii. — Schwanbeckii sententiam respuit etiam Baehr. in exc. ad Her. III, 98 (vol. II, p. 684). Praeterea v. Rawlinson l. a. p. 40, n. 9, quem et ipsum video ad meam sententiam prope accedere.

aequales erant vel certe paullo tantum natu maiores. At Scylacis libri tot annis eo superioris quomodo eum latere potuerint, ego non video; nam Herodotus, quem multis ex locis cognoscimus literis Graecis eruditissimum fuisse[1]), omnes scriptores ipso antiquiores, qui aliqua auctoritate erant, videtur legisse; adde quod viri docti Scylacem vocant auctorem celeberrimum, cuius nomen auctor peripli nostri dignum putaverit, quod operi supposito praefigeret. — Deinde rectissime viri docti mirati sunt[2]), quod nec Nearchus nec Ptolemaeus nec Aristobulus nec Arrianus Scylacis de itinere ullam mentionem fecerunt. Accedit quod Alexandri aetate de Indo flumine falsissimae divulgatae erant sententiae, cfr. Arrian. exp. Alex. VI 1, ubi ipse Alexander traditur tam vehementer erravisse, ut Indum pro superiore parte Nili haberet[3]). Haec omnia explicari nequeunt, si Scylacem sumimus de expeditione sua librum edidisse. Contra facillime illam Nearchus, Ptolemaeus, ceteri silentio praeterire potuerunt, si nihil de ea notum fuit nisi quae narrat Herodotus. Etenim eodem modo etiam circumnavigatio Africae per Phoenices Nechonis iussu facta, quae Her. IV 42 describitur, postea oblivione obruta est (cfr. Strab. I p. 34 aliosque locos[4]), quamquam Herodotus de ea multo copiosius disputat quam de itinere Scylacis[5]). — Postremo affero Scylacem Herodoteum plerisque locis neglegi, ubi scripta eius commemorata esse exspectes: neque Agathemerus eum nominat, ubi de vetustissimis geographis verba facit[6]), neque Dionysius Halicarnassensis neque Strabo (I 7) neque Porphyrius neque Clemens Alexandrinus.

Quae cum ita sint, ego aliam viam ingressus sum, ut ea, quae de Scylacibus comperta habemus, probabili modo explicem. Puto enim Scylacem Herodoteum nihil scriptum reliquisse neque de India nec de mari interno nec de Heraclida Mylasensi[7]);

---

[1]) cfr. Schoellium in Philol. X, p. 38 sqq.
[2]) v. Baehr. l. a. p. 725.
[3]) Idem narrat Strabo XV, c. 696. Praeterea v. Arr. exp. Al. VI, 19 sq.
[4]) Plura v. ap. Baehr. in exc. ad Her. IV, 42.
[5]) Muellerus (p. XXXV sq.), quae Herodotus narrat et de Phoenicibus et de Scylace, sine ulla causa ficta esse contendit, cfr. Baehr. p. 725.
[6]) cfr. supra p. 16, n. 2.
[7]) Gutschmidium erravisse, cum huic Scylaci τὰ κατὰ τὸν Ἡρακλείδην τὸν Μυλασσῶν βασιλέα ascribat, iam recte demonstravit Muellerus l. a. p. XXXVIII: . . „Parum hoc probabile, quum Herodotus tradat tyrannorum

contra medio saeculo quarto a. Chr. n. alterum Scylacem vixisse conicio, et ipsum Caryandensem[1]), qui composuerit περίπλουν οἰκουμένης[2]) vel περίοδον γῆς. Hic liber dialecto Attica conscriptus totam scientiam rerum ad geographiam spectantium, qualis tunc temporis erat, comprehendit et universam terram adumbravit inde a mari Atlantico usque ad ultimos fines Indorum. Atque aetatem tulit hoc opus usque ad Strabonis tempora et scholiastae Apoll. Rh., quin etiam Avieni (nam hi eo usi sunt fragmentaque, quae supra diximus, nobis servaverunt); postea vero periit. Sed iam multo ante homo nobis ignotus literisque parum eruditus hunc librum in angustum coegerat illumque periplum maris interni ex eo excerpserat[3]) (in usum nautarum), qui, cum in navigationibus utilissimus esset, diu viguit et manavit ad nostra tempora. Quo autem tempore confectus sit, artis finibus non licet circumscribere; fortasse saeculo tertio a. Chr. n. Eademque fere aetate etiam liber ille de India, Jonica dialecto scriptus, quem laudant Athenaeus, Philostratus, Tzetzes[4]), ab homine nescio quo ex aliis libris[5]) compilatus et veteri Scylaci (Herodoteum dico)

in locum per singulas urbes στρατηγοὺς sive praetores substitutos esse. Scylacem vero logographum particularem historiam scripsisse de rebus gestis viri coaetanei, a veteris logographiae ratione, qualem novimus, tam alienum est, ut, si testata res esset, magnopere miraremur, de coniectura autem tale quid literarum historiae inferre absonum foret". Quibus argumentis Baehrius (ad Her. V, 126) suo iure illud addit, quod ex ipsis Herodoti verbis sumi potest; ibi enim Heraclides dicitur ἀνὴρ Μυλασεύς, neque βασιλεύς neque τύραννος, quod fieri non potuit, si Herodotus, id quod Gutschmidius suspicatur, librum Scylacis de rege Hera- clida cognovisset.

1) cfr. Klausen. l. a. p. 229.

2) Suid s. v. Σκύλαξ.

3) v. Baehr. l. l. p. 723: Ipsum opusculum, quod Scylacis sub nomine adhuc fertur, ἐπιτομήν et compendium maioris operis fuisse nullus dubitat.

4) Loci Aristotelis et Harpocrationis ex pleniore illo periplo fluxerunt, quem Strabo quoque, scholiasta Ap. Rh., Avienus ante oculos habuerunt; unde simul effici videtur auctorem summarii nostri hic illic pauca mutavisse. — Ceterum Tzetzae verbis, quae sunt ὑπάρχει τι βιβλίον h. e. praesto est vel exstat liber, Baehrii sententia refutatur, Scylacis Herodotei librum de India mature periisse (l. a. p. 725); nam si is omnino de India scripsisset, hoc opus, ut ex illis verbis cognoscimus, usque ad Tzetzae aetatem exstare debuit.

5) Imprimis e Deimacho, Megasthene, Onesicrito, Nearcho, qui permulta fabulosa de India narrabant, cfr. Strab. II, c. 70: Ἅπαντες μὲν οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ᾽ ὑπερβολὴν δὲ Δηίμαχος, τὰ δὲ δεύτερα λέγει Μεγασθένης, Ὀνησίκριτος δὲ καὶ Νέαρχος καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραψελλίζοντες ἤδη. καὶ ἡμῖν δ᾽ὑπῆρξεν ἐπὶ πλέον κατιδεῖν ταῦτα ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις· διαφερόντως δ᾽ἀπιστεῖν ἄξιον

suppositus est; in quo multa mirabilia pro aetatis illius indole tradebantur genusque dicendi tale adhibebatur, quale tunc in rhetorum scholis excoli solebat[1]). Hoc quoque scriptum viguit multa per saecula, quippe quod non solum Athenaeus, sed etiam Tzetzes in manibus habuisse videatur[2]), neque quisquam fraudem deprehendit. Quo etiam factum est, ut Stephanus Byzantius auctorem eius personatum numeret inter veteres logographos.

Ex his, quae de Scylace Caryandensi, qui Darei tempore floruit, modo disseruimus[3]), Herodoto efficitur nihil cum eo commune fuisse; itaque Schwanbeckii aliorumque sententias omnes iam repudiaturos spero.

§ 6.

De Cadmo Milesio[4]).

I.

Scylacem Caryandensem (veterem dico, qui apud Herodotum affertur) scripta edidisse nego, Cadmum contra Milesium multi ne fuisse quidem concedunt, etsi nonnulli auctores veteres eum vocant logographorum principem. Quare priusquam de ratione dicamus, quae intercedit inter eum et Herodotum, vetera testimonia de Cadmi vita et scriptis paullo accuratius necesse est excutiamus. Id eo magis necessarium videtur, quod viros, qui postremi hanc quaestionem tetigerunt eosque plurimi secuti sunt,

---

Δηιμάχῳ τε καὶ Μεγασθένει. οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ τοὺς ἐνωτοκοίτας καὶ τοὺς ἀστόμους καὶ ἄῤῥινας ἱστοροῦντες μονοφθάλμους τε καὶ μακροσκελεῖς καὶ ὀπισθοδακτύλους· ἀνεκαίνισαν δὲ καὶ τὴν Ὁμηρικὴν τῶν Πυγμαίων γερανομαχίαν, τρισπιθάμους εἰπόντες. οὗτοι δὲ καὶ τους χρυσωρύχους μύρμηκας καὶ Πᾶνας σφηνοκεφάλους ὄφεις τε καὶ βοῦς καὶ ἐλάφους σὺν κέρασι καταπίνοντας κτλ.

[1]) Inspicias, quaeso, paullo diligentius verba ab Athenaeo laudata: εἶναι μὲν τὴν γῆν ὑδρηλὴν κρήνησι καὶ ὀχετοῖσιν, ἐν δὲ τοῖς οὔρεσι πέφυκε κυνάρα καὶ βοτάνη ἄλλη . . . Ἐντεῦθεν δὲ ὄρος παρέτεινε τοῦ ποταμοῦ ἔνθεν καὶ ἔνθεν, ὑψηλόν τε καὶ δασὺ ἀγρίῃ ὕλῃ καὶ ἀκάνθῃ κυνάρᾳ. Hanc orationem tam concinnam atque copiosam a veterum logographorum simplicitate valde opinor abhorrere.

[2]) cfr. supra p. 46, n. 4.

[3]) Apparet nos sententiam nostram de diversis Scylacibus supra summis tantum lineamentis indicasse; speramus, cum rem fusius tractare ab hoc loco alienum sit, alibi nobis occasionem oblatum iri pluribus eius quam nunc exponendae. Imprimis etiam quaestionem, quo fere anno plenior illa periodus vel periplus ortus sit, consulto supra silentio praetermisimus.

[4]) Muell., Fr. h. Gr. II, p. 2 sqq.

mihi persuasum est falso iudicavisse. Sunt vero testimonia, quae dicimus, haec:

Suid s. v.: Κάδμος ὁ Μιλήσιος, εὑρετὴς γραμμάτων. Ἐν ἐπιγράμματι Ζήνωνος·

Εἰ δὲ πάτρα φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ ὁ Κάδμος
κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Κάδμος, Πανδίονος, Μιλήσιος, ἱστορικὸς, ὃς πρῶτος κατά τινας συγγραφὴν ἔγραψε καταλογάδην, μικρῷ νεώτερος Ὀρφέως. Συνέταξε δὲ Κτίσιν Μιλήτου καὶ τῆς ὅλης Ἰωνίας ἐκ βιβλίοις δ'. — Ὅτι τὸν Κάδμον φασὶ πρῶτον ἐς τὴν Ἑλλάδα κομίσαι τὰ γράμματα, ἅπερ πρῶτοι Φοίνικες ἐφεῦρον.

Strab. I, c. 18: πρώτιστα ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον καὶ εὐδοκίμησεν. εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τἄλλα φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ, συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον καὶ Φερεκύδην καὶ Ἑκαταῖον κτλ.

Diod. I, 87: Τινὲς δ' ἐπιβαλόμενοι λέγειν περὶ τῶν ἐπιζητουμένων (sc. περὶ τῆς ἀναβάσεως τοῦ Νείλου καὶ τῶν πηγῶν cet.) πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον. Οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν Ἑλλάνικον καὶ Κάδμον, ἔτι δ' Ἑκαταῖον καὶ πάντες οἱ τοιοῦτοι, παλαιοὶ παντάπασιν ὄντες, εἰς τὰς μυθώδεις ἀποφάσεις ἀπέκλιναν κτλ. Plin. Nat. H. V, 112: Nec Miletus fraudanda cive Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit. — ibid. VII, 205: Prosam orationem condere Pherecydes Syrius instituit Cyri regis aetate, historiam Cadmus Milesius.

Dion. Hal. περὶ Θουκ. χαρ. c. 23, p. 863 sq.: οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι πάνυ (συγγραφεῖς) καὶ ἀπ' αὐτῶν μόνον γινωσκόμενοι τῶν ὀνομάτων ποίαν τινὰ λέξιν ἐπετήδευσαν οὐκ ἔχω συμβαλεῖν — οὔτε γὰρ διασώζονται τῶν πλειόνων αἱ γραφαὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων οὔθ' αἱ διασωζόμεναι παρὰ πᾶσιν ὡς ἐκείνων οὖσαι τῶν ἀνδρῶν πιστεύονται. ἐν αἷς εἰσιν αἵ τε Κάδμου τοῦ Μιλησίου καὶ Ἀριστέου τοῦ Προκοννησίου καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις.

Joseph. c. Ap. I, c. 2: Οἱ μέντοι τὰς ἱστορίας ἐπιχειρήσαντες συγγράφειν παρ' αὐτοῖς (sc. τοῖς Ἕλλησι), λέγω δὲ τοὺς περὶ Κάδμον τὸν Μιλήσιον καὶ τὸν Ἀργεῖον Ἀκουσίλαον, καὶ μετὰ τοῦτον εἴ τινες ἄλλοι λέγονται γενέσθαι, βραχὺ τῆς τῶν Περσῶν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα διαστρατείας τῷ χρόνῳ προὔλαβον.

Clem. Alex. Strom. VI, p. 267: . . ὁ Προκοννήσιος Βίων, ὃς καὶ τὰ Κάδμου τοῦ παλαιοῦ μετέγραφεν κεφαλαιούμενος κτλ.

Quae praeterea apud Villoison. An. Gr. II, p. 187 traduntur, ineptiora sunt, quam ut ea huc apponam; id unum dico ibi Cadmum citari post Palamedem, sed ante Simonidem Ceum er Epicharmum Syracusanum.

Haec maxime inter se discrepare non est quod pluribus moneam; sed videamus, quomodo viri docti recentiores ea explicare studuerint. Alii eorum, in quibus Creuzerus et Baehrius, rem breviter tantum perstringentes, etsi Suidas more suo varia inter se miscuerit, tamen Cadmum Milesium re vera ante Herodotum fuisse censent. Alii contra, imprimis Muellerus, Murius[1]), Gutschmidius[2]), Rawlinsonius, Schaeferus[3]), hoc plane repudiantes Cadmum logographum unquam fuisse vel negant vel certe vehementer dubitant. Atque Muellerus, qui diligentissime adhuc hanc rem disceptavit, ita fere disputat: Suidam in iis, quae supra exscripsimus, diversas res temere miscere; contra quae s. v. Ἑκαταῖος narraret: Πρῶτος δὲ (Ἑκαταῖος) ἱστορίαν πεζῶς ἐξήνεγκε· συγγραφὴν δὲ Φερεκύδης, haec recte se habere. Itaque non Cadmum, sed Hecataeum prosa oratione ad scribendam historiam usum esse primum. Cadmi quae afferrentur scripta spuria esse et aetate Alexandrinorum supposita; denique Cadmi nomen omnino fictum esse ex Cadmo illo literarum inventore.

Hanc viri doctissimi sententiam, quam non temere prolatam esse facile concedo, tamen diligenter reputatam a me impetrare non possum ut amplectar. Cuius rei causae sunt hae. Primum quidem, quae Muellerus disserit, ut demonstret, quo fere modo Cadmus logographus fictus sit, magis artificiosa sunt quam ut nobis persuadeant[4]). Deinde Muelleri sententiam, ex qua Hecataeum primum historiam prosa oratione condidisse putat, a vero aberrare facile est evincere. Nam ut illud praetermittam eum

[1]) l. l. p. 58 sq.
[2]) Mus. Rhen. IX, p. 144: Von den Logographen, welche von den Alten für die ältesten erklärt werden, sind zwei, Akusilaus und der Milesier Kadmus, ziemlich apokryphisch.
[3]) Quellenk. p. 10: Der Geschichtschreiber Kadmus ist eine mythische Person.
[4]) Conferas ipse, quaeso, Muelleri expositionem l. l. p. 3. Imprimis credere non possum ex Cadmo Phoenice, homine celeberrimo, Cadmum, principem logographorum, aetate tam recenti fictum esse.

Acusilai Argivi aetatem seriorem ponere quam liceat, ipse Suidas vel eius auctor Hecataeo illum honorem non tribuisset, nisi Acusilai scripta spuria esse existimasset; hoc autem falsum esse infra[1]) docebimus. Praeterea cui tandem verisimile videatur eum, qui primus omnium orationem pedestrem ad historiam scribendam adhibuerit, hunc statim tam egregie munere suo functum esse, ut omnium, qui Herodotum praecesserint, longe praestantissimus sit dicendus?[2]) — Postremo nullum adhuc inveni exemplum, quod doceat aetate Alexandrinorum auctores fictos esse, qui nunquam ac nusquam vixerint. Immo semper videmus spuria opera iis supponi, qui aut arte aliqua floruisse ferebantur (ex. gr. Thales, Pythagoras, Orpheus) aut alia re celebres erant (ut Scylax Caryandensis, Darei aequalis) aut quondam scripta ediderant temporum iniuria interitura (ut Bion Proconnesius et Melesagoras Chalcedonius[3]). Itaque mea sententia Cadmo illi Phoenici opera poterant subdi, non poterant Cadmo Milesio, cuius nomen ex illius nomine fictum esset.

Quae cum ita sint, equidem sequor eos auctores veteres, qui Cadmum Milesium et fuisse et primum historiam scripsisse putaverunt, Strabonem, Diodorum, Josephum, Plinium, nec quidquam arbitror esse, cur 'eorum testimonia abiciamus. Accedit quod et titulus, quem Suidas tradit Cadmi libro inscriptum esse, Κτίσιν Μιλήτου καὶ τῆς ὅλης Ἰωνίας, hanc in traditionem optime quadrare videtur neque nomen Cadmi quidquam habet, quo offendamur. Nam ubi potius historia oriri potuit quam Mileti, in capite Joniae id temporis opibus ac literis florentissimo, atque unde aptiorem materiam primus logographorum ibi natus eligere potuit tractandam quam ipsius patriae antiquam historiam? Nomen vero, quod est Cadmus, in illa regione non ita rarum fuisse iam monuit ipse Muellerus[4]). Suidas deinde quae perhibet, sane concedo maxime esse confusa; sed quam facile Cadmus Phoenix,

[1]) v. p. 53.

[2]) Alia est quaestio, quisnam omnino prosa oratione usus sit primus; quod etiamsi nonnullis locis Nostro tribuitur, tamen non dubito, quin rectius haec gloria Pherecydi Syrio addicatur cfr. Plin. N. H. VII, 56. Joseph. l. a. Suid. s. v. Φερεκ. Βάβυος et Φερεκ. Ἀθην. E Suidae locis apparet sententiae, quam nos amplectimur, favisse etiam Porphyrium, cfr. s. p. 7, n. 3.

[3]) v. p. 58 sqq.

[4]) l. a. p. 3. Cfr. etiam Movers, Die Phoenizier, II, 2, p. 17 sqq. et 79.

literarum inventor, et Cadmus, primus rerum gestarum scriptor, inter se commutari poterant! Quam non mirandum est, puod homines parum literati vel parum diligentes alteri utri tribuerunt, quae alterius propria erant![1]) Quamobrem ne illas quidem coniecturas probo, quibus Clintonius[2]) aliique Suidae textum corrigere conantur; cur violentis mutationibus eos errores tollere studeamus, quos ratio docet facillime oriri potuisse? Igitur nihil iam obstat sententiae nostrae nisi alter Plinii locus, ubi dicit: „Nec Miletus fraudanda cive Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit". Sed haec verba licet argumento sint, id quod dubito[3]), nonnullos exstitisse, qui Cadmum fuisse negarent, tamen parvi momenti sunt, cum nesciamus, unde orta sit illa dubitatio, Strabonis contra, Diodori, aliorum testimonia nostram adiuvent sententiam.

Restat ut de libro pauca adiciamus a Cadmo conscripto. Ortus ca. a. 560 a. Chr. n. vel paullo post mature videtur peri-

[1]) Pauca addo, quibus coniectura mea valde firmatur. Pausanias (VII, 3) Colophonem auctor est a Thebanis conditam esse vel Cadmeis, qui post Thebarum expugnationem per Thersandrum, Polynicis filium, et Argivos factam e patria eiecti essent. Idem similia tradit (VII, 2, 10) de Priena, cuius cives dicuntur Ἴωσιν ἀναμεμιγμένοι Θηβαῖοι. Deinde e Strabone (XIV, p. 636 A) Prienam urbem nonnunquam Cadmen nominatam esse discimus, quocum consentit Hellanicus frg. 95: Κάδμιοι, οἱ Πριηνεῖς, ὡς Ἑλλάνικος. Tertium etiam Teum coloni Boeoti immigrasse dicuntur, cfr. Strab. XIV, p. 633. Paus. VII, 3 (v. Scheffler, De rebus Teiorum, diss. (Lips. 1882), p. 6 sqq.). Denique Miletum quoque Herodoto teste (I, 146) cum alii occupaverant tum Cadmei; quorum e gente etiam Thales fuit, philosophorum princeps, cfr. Diog. Laert. I, 22: ἦν ὁ Θαλῆς πατρὸς μὲν Ἐξαμίου, μητρὸς δὲ Κλεοβουλίνης, ἐκ τῶν Θηλιδῶν, οἵ εἰσι Φοίνικες εὐγενέστατοι τῶν ἀπὸ Κάδμου καὶ Ἀγήνορος, et Her. I, 170 . . Θάλεω ἀνδρὸς Μιλησίου ἐγένετο, τὸ ἀνέκαθεν γένος ἐόντος Φοίνικος. Quae omnia si consideraverimus, nonne verisimillimum videbitur, etiam Cadmum nostrum logographum eodom modo quo Thalem in illorum Milesiorum numero habendum esse, quorum maiores Thebis vel ex Boeotia profecti cum aliis gentibus Graecis (de quibus cfr. Her. l. a. (I, 146) et C. Fr. Hermann, Gr. Staatsaltert. p. 286 ed. quint.) Miletum olim possederint (vel potius possedisse ferantur; nam res longe aliter se habet quam Graeci auctores tradiderunt, v. Curtius, Gr. Gesch. I, p. 35, 45. Deimling, Leleger p. 19. Movers. l. a. II, 2, p. 17 sqq.)? Accedit aliud. Ex. Euseb. pr. ev. X, 4 (Ἀλλὰ καὶ ὁ Θαλῆς κτλ.) efficitur antiquis temporibus fuisse qui putarent Thalem aut Milesium fuisse oportere aut Phoenicem, cum utrumque simul fieri potuisse ignorarent. Atqui Cadmus Milesius, si recte se habent, quae modo disputavimus, eodem iure quo Thales dici poterat Phoenix. Ergo quam lenis est coniectura Cadmum, qui vulgo nominabatur Phoenix, et Cadmum logographum Milesium inter se permutatos esse.

[2]) Fast. Hell. II, p. 454.

[3]) Nam facile ad eos referri possunt, qui scripta Cadmi sub nomine divulgata ab eo abiudicarunt et spuria duxerunt cfr. Dion. Hal. l. l.

isse; neque enim eum posteriore aetate exstitisse putaverim, sed Muellerum secutus e locis Dionysii et Clementis supra allatis sine ulla dubitatione colligo ea opera, quae tum sub Cadmi nomine ferebantur, ex Bionis aliorumque libris conflata fuisse, ita ut excepto titulo ex opere genuino pauca superessent vel nihil.

II.

De quaestione, num et quomodo Herodotus Cadmum consuluerit, perpauca habeo quae dicam. Quae de hac re suspicatus est Gutschmidius[1]), tam infirmis nituntur fundamentis, ut prorsus respuenda esse videantur. Mea sententia ut nihil obstat, quin Herodotum Cadmum cognovisse ponamus, ita maxime dubium est, num ille hunc in usum suum converterit; certe nullus mihi occurrit locus, ubi quid e Cadmo delibatum esse vel eum tecte denotari cum specie quadam verisimilitudinis conicere liceat.

§ 7.

De Acusilao Argivo[2]).

I.

Acusilaum Argivum ex iis, quae Josephus[3]) refert et Clemens Alexandrinus[4]), apparet non multo post Cadmum Milesium vitam degisse, ad quod etiam quadrant verba Suidae (s. v.): Ἀκουσίλαος, Κάβα υἱός, Ἀργεῖος ἀπὸ Κερκάδος, πόλεως οὔσης Αὐλίδος πλησίον, ἱστορικὸς πρεσβύτατος. ἔγραφε δὲ γενεαλογίας ἐκ δέλτων χαλκῶν, ἅς λόγος εὑρεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ ὀρύξαντά τινα τόπον τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Quamobrem Muellerum parum recte Acusilaum intra Ol. 70 et 80 ponere Creuzero libenter concedo; sed eidem viro doctissimo admodum laudanti, quae Muellerus de patre ac patria Acusilai conicit, non possum non obloqui, quippe cum tota illa disputatio partim mihi dubia partim prava videatur[5]). Itaque unum illud

[1]) in Philol. X, p. 523.
[2]) cfr. supra p. 5, n. 4. [3]) v. p. 48.
[4]) Strom. I, p. 129: οἱ δὲ Ἀκουσίλαον τὸν Ἀργεῖον ἐγκατέλεξαν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς, ἄλλοι δὲ Φερεκύδην τὸν Σύριον.
[5]) Muellerus ex. gr. Κάβας, quod nomen erat patri Acusilai, ex Ἑχάβας decurtatum esse existimat, quod fieri posse negaverim; nec magis Σκάβας, quam formam tradit Diogenes Laert. (I, 41), ex ἑκάβαρ ortum esse mihi verisimile videtur.

pro certo affirmare licet Acusilaum natum esse Cercade in oppido Boeotiae, quod prope Aulidem situm erat in regione, quae Argos nominabatur.

Scripsit Acusilaus genealogias, quibus origo mundi atque antiquae de heroibus fabulae exponebantur earumque tres libri in fragmentis afferuntur. Quo in opere eum magnam partem Hesiodum, popularem suum, secutum esse cum veteres tradunt scriptores[1]) tum testantur reliquiae[2]); sed multa quoque inseruit, quae Hesiodus non attigit, imprimis ea, quae de bello Troiano disputavit. Ceterum artis criticae ignarus res ita retulit, ut a poetis vel hominum sermone memoriae tradebantur. — Hic liber multa per saecula viguit aetatemque tulit ultra tempora imperatoris Hadriani, quibus Sabinius, homo grammaticus, commentarios scripsit eius explicandi causa[3]). Atque etiamtum eum satis incorruptum exstitisse multa illa fragmenta docent, e quibus ne unum quidem suspicionem movet; qua de causa Suidae, qui tribus locis[4]) Acusilai scripta spuria appellat, fidem abrogamus quamvis dissentiente Muellero.

II.

Acusilai scripta ex iis, quae supra exposuimus, facile cognoscitur eiusmodi fuisse, quibus Herodotus uti non potuerit nisi illis locis, ubi res fabulosas tangat et longissime remotas. Quod quoniam raro fit multique alii fontes ei praesto erant, unde talia hauriret, ex. gr. maxima illa multitudo poematum carminumque poetarum epicorum et lyricorum, neque usquam Acusilai nomen apud Herodotum invenitur neque insignis inter utrumque consensus deprehenditur, nostro iure negare nobis videmur eum ex

---

[1]) Clem. Alex. Strom. VI, p. 267: τὰ δὲ Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος οἱ ἱστοριογράφοι. — Joseph. c. Ap. I, 3: Περίεργος δ᾽ ἂν εἴην ἐγὼ τοὺς ἐμοῦ μᾶλλον ἐπισταμένους διδάσκων, ὅσα μὲν Ἑλλάνικος Ἀκουσιλάῳ περὶ τῶν γενεαλογιῶν διαπεφώνηκεν, ὅσα δὲ διορθοῦται τὸν Ἡσίοδον Ἀκουσίλαος.

[2]) Cfr. imprimis frg. 1 (ubi scholiasta res confundit, Plato et Damascius inter se consentiunt), 3, 8, 10, 18, alia. Neque tamen desunt loci, ubi Hesiodus et Acusilaus inter se dissideant, cfr. frg. 7, 12, 16, alia et Joseph. l. in n. 1 a.

[3]) Cfr. Suid. s. v. Σαβῖνος.

[4]) s. v. Ἑκαταῖος, ἱστορῆσαι, συγγράφω. Hos tres locos ex eodem fonte haustos esse, e Porphyrio, supra monuimus p. 7, n. 3.

Acusilao quidquam delibasse. Accedit quod aliqua re inter se discrepant. Herodotus enim (I, 7) Jo appellat filiam Inachi, vulgarem sententiam secutus, Acusilaus contra eam Pirenis natam dixerat, cfr. Apollod. II, 1,3: Ἄργου δὲ καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ παῖς Ἴασος· οὗ φασιν Ἰὼ γενέσθαι. Κάστωρ δὲ ὁ συγγράψας τὰ χρονικὰ καὶ πολλοὶ τῶν τραγικῶν Ἰνάχου τὴν Ἰὼ λέγουσιν. Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτήν φασιν εἶναι. Quamquam huic dissensioni non ita magnam vim tribuerim, quoniam, etiamsi Herodotus Acusilao usus esset, tamen ea exstare posset. Sed argumenta, quae priore loco attuli, sola per se rem conficere mihi videntur.

§ 8.

De Dionysio Milesio[1]).

I.

Dionysius Milesius quo tempore vixerit, e Suida cognoscimus, qui eum aequalem Hecataei fuisse refert[2]); idem testantur duo loci in Bekkeri An. Gr. p. 783, ubi eum cum Anaximandro, Hecataeo, Hellanico coniungi videmus. Sed difficile est invenire, quae scripta reliquerit hic logographus, cum permulti illi Dionysii, qui antiquis temporibus in Graecia vixerunt atque opera condiderunt, saepissime a scriptoribus serioris aetatis inter se confusi sint. Imprimis Suidas, quae de nonnullis Dionysiis hic illic invenit, miro modo miscuit ac turbavit. Exhibet enim s. v. Διονύσιος Μιλήσιος haec: Διον. Μιλ., ἱστορικός. Τὰ μετὰ Δαρεῖον ἐν βιβλίοις ε'. Περιήγησιν οἰκουμένης. Περσικὰ Ἰάδι διαλέκτῳ. Τρωικῶν βιβλία γ'. Μυθικά. Κύκλον ἱστορικὸν ἐν βιβλίοις ζ'. Hoc loco opera complurium Dionysiorum falso uni Milesio attributa esse viri docti iam pridem animadverterunt simulque explorare sunt conati, quosnam Dionysios Suidas confudisset. Qua quaestione instituta Muellerus hac in sententia constitit: ex omnibus, quae lexicographus enumeraret, scriptis Dionysio Milesio nullum vindicandum esse nisi Τὰ Περσικά, qui titulus idem esset atque alter ille, qui

---

1) Cfr. p. 5, n. 4. — Welcker, Kleine Schriften, I, p. 430 sqq. — Westermann. in Paul. Enc. R. II, p. 1088 sqq. — Clinton, F. H. II, p. 456. — Mueller, Fr. h. Gr. II. p. 5 sqq. — Hachtmann, De Dionysio Mitylenaeo seu Scytobracchione. diss. Bonn. 1865.

2) s. v. Ἑκαταῖος, cfr. s. p. 7, n. 3.

citaretur τὰ μέχρι Δαρείου ἐν βιβλίοις ε (sic scribit pro tradita lectione, quae est τὰ μετὰ Δαρεῖον cet., cfr. fr. h. Gr. vol. IV, p. 653); periegesin tribuendam esse Dionysio, qui diceretur Periegetes, Cyclum historicum Dionysio Samio vel Rhodio, reliqua Dionysio Mitylenaeo seu Scytobracchioni. Contra Hachtmannus (l. a. p. 19. 21. 38. 48) alia studuit probare: Dionysium Milesium non modo historicum, sed etiam mythologum fuisse; scripsisse enim praeter Persica, opus historicum, complura opera mythologica, Argonautica, Troica, Dionysiaca, Amazonica, Mythica; illud autem opus, cui inscriptum esset τὰ μετὰ Δαρεῖον, ab alio auctore, fortasse continuatore aliquo historicorum librorum veteris logographi, compositum esse. — Hanc quaestionem de discernendis Dionysiis, quos Suidas l. l. confudit, totam repetere ab hoc loco alienum duco; nam tali expositione ab eo, quod nobis proposuimus, longe deflecteremur. Quapropter satis habebo, quid ipse hac de re iudicem, breviter significare. — Rectissime monuerunt Muellerus et Hachtmannus titulum illum, qui est τὰ μετὰ Δαρεῖον, ferri non posse; sed in eo explicando vel emendando parum prospere sunt versati. Nam Muelleri coniectura nimis est violenta atque Hachtmanni sententia ideo parum probabilis, quoniam nullius logographi alius scripta postea continuata esse perhibentur. Nec magis mihi placent, quae praeterea de hac re adhuc prolata sunt[1]). Quae cum ita sint nec ipse invenire potuerim, quae ad probabilitatem propius accedant, in praesentia haec in incerto relinquo unumque illud teneo Dionysium nostrum historiam Persicam conscripsisse[2]). — Deinde etiam alteram Hachtmanni respuo suspicionem, qua Dionysium Milesium complura opera mythologica edidisse putat, quae postea eodem modo quo Xanthi Lydiaca interpolata denuoque edita sint a Dionysio Scytobracchione. Nam primum quidem Suidae testimonium, quo vir doctus nititur (p. 28), nihil probat[3]). Apollodori deinde duo loci minimi sunt momenti, cum eos eodem iure ad Dionysium Mitylenaeum referre possimus. Postremo si re vera Dionysius Scytobracchion veteris Dionysii opera mythologica mutasset, mutata sub nomine eius iterum edi-

---

[1]) V. Creuzer, Hist. K. p. 72. — Nitzsch. Hist. Hom. I, p. 88. — Westerm. l. l. — Gutschmid. in Mus. Rhen. IX, p. 144.

[2]) Murius l. a. p. 164 sq. ne hoc quidem concedit; iniuria, ut videtur.

[3]) Locum tam confusum non licet pro argumento afferre.

disset, quomodo explicari potest, a scholiasta Apollonii Rhodii duos illos Dionysios laudari? Nonne unum semper oportuit citari aut Milesium aut Mitylenaeum?[1]) — Itaque arbitror a Dionysio Milesio nihil scriptum esse nisi Persica, omnia alia, quae affert Suidas, aliis Dionysiis esse assignanda, Periegesin Dionysio Periegetae, reliqua fortasse Dionysio Mitylenaeo.

II.

Dionysio Milesio num Herodotus usus sit fonte, incertissimum est ac difficile diiudicatu, cum certa Dionysii fragmenta omnino non exstent. Tamen equidem mihi persuasum habeo Herodotum illi logographo nihil debere, sed omnia, quae de rebus Persicis memoriae prodat, ipsum rescivisse. Nam haec si paullo diligentius perlegerimus, ne minimum quidem vestigium nobis occurret, unde tale quid colligamus.

§ 9.

De Pherecyde Lerio[2]).

I.

Quaestionem de vita Pherecydis logographi paucis conficere licet, quia Muelleri de eo disputationi nihil habeo quod addam. Pherecydes igitur in Lero insula natus maximam vitae partem Athenis degit, ut elucet e testimoniis satis multis, quae de eo tradita sunt; floruit ca. Ol. 81 vixitque Luciano teste annos nonaginta quinque; Herodoti igitur aequalis fuit. — Scripta eius egerunt de Lero insula, de Iphigenia, de festis Bacchicis, denique de Archaeologia Attica. Ex hoc opere omnia fragmenta fluxerunt, quae nobis servata sunt, cum e reliquis nihil aetatem tulerit[3]); pro Archaeologia Attica vocatur etiam Theogonia,

[1]) Xanthi Lydiaca a Dionysio Mitylenaeo interpolata nusquam huic ascribuntur h. e. sub eius nomine citantur; itaque verisimile est futurum fuisse ut ne Dionysii quidem Milesii scripta, ille si interpolasset, sub ipsius nomine afferrentur. — Multa adici possunt de contorta argumentandi ratione, qua utitur Hachtmannus, de coniecturis omni probabilitate destitutis (ex. gr. Mythica septimum librum cycli existimat), aliis. Sed nobis, ut supra diximus, haec praetereunda sunt.

[2]) Cfr. p. 5, n. 4. — Westerm. in Paul. Enc. R. V, p. 1448.

[3]) Hac re nisus Murius l. l. p. 184 sq. conicit ceteros illos titulos nihil signi-

Genealogiae, Autochthones; comprehendebat vero libris decem fabulas Graecas inde ab initio mundi usque ad urbes in Asia minore ab Jonibus conditas.

II.

In rationem, quae inter Herodotum et Pherecydem intercedit, fere eadem cadunt, quae supra (p. 53) diximus de ratione inter Acusilaum et Herodotum: hic Pherecydem consulere non potuit nisi locis paucissimis ibique multos alios quoque fontes adire ei licuit. Sed ne his quidem locis quidquam e Pherecyde in Herodoti libros fluxisse discrepantiae videntur docere, quae inter eos deprehenduntur. Primum enim frg. 24 et Her. IX, 34 multis rebus inter se differunt: apud Pherecydem solae Proeti filiae furore incitantur, apud Herodotum in universum mulieres Argivae; apud illum Melampus pro pretio accipit partem regni unamque e Proeti filiabus, apud hunc de matrimonio nihil legimus, sed Melampus et Bias, frater eius, ternam partem terrae Argivae adipiscuntur; alia, quae minoris momenti sunt, silentio praetermitto. — Deinde frg. 33 d abhorret ab Her. IV, 158: illo teste Irasa oppidum prope Tritonidem lacum est situm, hoc non longe a Cyrena. — Postremo pauca nomina apud utrumque diversa sunt; in fragmento 144 afferuntur Arypes, quos Herodotus I, 145 vocat Rhypes, et in fragmento 117 Phrixa oppidum, quod Herodotus IV, 148 nominat Phrixas[1]). — Itaque Herodotus Pherecydem consuluisse negandus est.

§ 10.

De reliquis logographis[2]),

Bione et Deiocho Proconnesiis, Hippye Rhegino, Eugeone, Eudemo, Democle, Melesagora, Damaste, Xenomede.

I.

Omnes quos modo enumeravi logographos ideo hac una paragrapho comprehendimus, quia de iis praeter nomina nihil fere

ficare nisi singulares partes unius libri, quem Pherecydes scripserit, Archaeologiae Atticae. Sed haec sententia parum est probabilis.

[1]) Fragmentum 113 (ap. Muell.) a Pherecyde profectum esse non potest.

[2]) Cfr. p. 5, n. 4. — Clinton, F. H, II, p. 455 sq. — Muell. l. a. II, p. 12—22. 44. 64—67.

nobis traditum est atque fragmenta ex iis exstant vel nulla vel paucissima.

1. De Bione Proconnesio Clemens Alexandrinus (Strom. VI, p. 267) exhibet haec: Μελησαγόρου γὰρ ἔκλεψεν Γοργίας ὁ Λεοντῖνος καὶ Εὔδημος ὁ Νάξιος οἱ ἱστορικοὶ καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Προκοννήσιος Βίων, ὃς καὶ τὰ Κάδμου τοῦ παλαιοῦ μετέγραψεν κεφαλαιούμενος, Ἀμφίλοχός τε καὶ Ἀριστοκλῆς καὶ Λεάνδριος καὶ Ἀναξιμένης καὶ Ἑλλάνικος καὶ Ἑκαταῖος καὶ Ἀνδροτίων καὶ Φιλόχορος, et Diogenes Laert. (IV, 58): Γεγόνασι δὲ Βίωνες δέκα· πρῶτος ὁ Φερεκύδει τῷ Συρίῳ[1]) συνακμάσας, οὗ φέρεται βιβλία δύο. ἔστι δὲ Προκοννήσιος. Quibus e locis elucet aetate Diogenis et Clementis duos libros exstitisse, qui Bionis nomen ferrent et Cadmi cum opere subdito plerumque, Melesagorae hic illic convenirent. Qua autem de re egerint quoque tempore conscripti sint, cognosci non potest, quoniam nullum fragmentum certo ad hunc Bionem refertur; tamen illud recte conicere nobis videmur eum Herodoto antiquiorem fuisse et imprimis historiam Mileti, Proconnesi, aliarum urbium Jonicarum exposuisse.

2. Paullo ampliora testimonia de Deiocho[2]) exstant, Bionis populari. A Dionysio l. saepe a. appellatur Proconnesius, a Stephano Byzantio Cyzicenus; certo patria eius fuit Proconnesus atque Cyzicenus nonnunquam aut ideo vocatus est, quod Cyzici diu versatus erat, aut quod Proconnesus seriore aetate in dicione erat Cyzicenorum[3]). Scripsit autem de Cyzico urbe duos libros vel plures, quos scholiasta Apollonii Rhodii in usum suum convertit nec ignoravit Dionysius Halicarnassensis; eidem rei postea operam dederunt Neanthes[4]), Agathocles[5]), Diogenes[6]).

3. Hippys Rheginus Suida teste illo tempore vixit, quo bella cum Persis gesta sunt, composuitque Chronica et Argolica[7]). Sed haec scripta postea compluribus locis interpolata videntur esse[8]).

4. Eugeon Samius a Dionysio primus memoratur omnium logographorum; certo in eo numero fuit, quorum opera Dionysii aetate non iam exstiterunt, eaque de causa rarissime citatur.

---

[1]) Λερίῳ legendum esse recte monuit Muellerus.
[2]) De huius nominis forma v. Muell. l. a.
[3]) Cfr. Pherecydem, qui vocatur et Lerius et Atheniensis.
[4]) Cfr. Muell. III, 2. — [5]) ibid. IV, 288. — [6]) ibid. IV, 392.
[7]) V. Muell. l a. et Schaef., Quellenk. p. 14.
[8]) Cfr. Preller. l. supra (p. 34) a. p. 38, n. 66.

Fragmenta vero, quae Muellerus collegit, admodum dubia sunt et incerta[1]).

5. Idem cadit in Eudemum, quem Dionysius vocat Parium, Naxium Clemens Alexandrinus. Quam discrepantiam parvi momenti esse Vossio et Muellero libenter concedo.

6. Non minore obscuritate involutus est Democles Pygelensis, cuius scripta et ipsa mature periisse puto.

7. Plura de Melesagora vel Amelesagora e veterum testimoniis eruere possumus. Primum quidem nullus dubito, quin omnino fuerit Hecataei temporibus Melesagoras quidam Chalcedonius; hoc demonstrat celeberrimus ille locus Dionysii, hoc etiam Clementis locus, quem supra (ineunte p. 58) exscripsi. Sed opera huius logographi postea videntur interiisse, cum ea, quae Clemens tradit, manifesto ad opus fictum ac subditum referenda sint. Nec enim omnes illos scriptores, quos enumerat, e Melesagora hausisse credere possum, quoniam hunc pauca edidisse verisimillimum est, sed e contrario suspicor aetate Alexandrinorum ex illis ipsis scriptoribus novos nescio quos libros consutos esse, consutis praefixum esse nomen Melesagorae. Aut sic res se habet aut certe Melesagorae operi genuino multa addita sunt ex aliis illis auctoribus. — Ab hoc logographo mea sententia discernendus est alius Melesagoras, quem Maximus Tyrius (Diss. 23) vocat Atheniensem hisce verbis: Ἐγένετο καὶ ἀνὴρ Ἀθήνησιν Ἐλευσίνιος ὄνομα Μελησαγόρας. οὗτος οὐ τέχνην μαθών, ἀλλ' ἐκ νυμφῶν κάτοχος θείᾳ μοίρᾳ σοφὸς ἦν καὶ μαντικός, ὡς ὁ Ἀθηναίων λόγος. Postrema verba aperte docent hunc hominem non scriptis notum fuisse, sed solum Atheniensium fama ac sermone. Quocirca Muellerus errare videtur, cum tria fragmenta ei assignat, eundem eum arbitratus ac priorem. — Tertium denique Melesagoram cognoscimus ex Antigono, Apollodoro, Hesychio. Huius sunt tria, quae Muellerus exhibet, fragmenta, ubi res ad veterem historiam Atticam pertinentes tractantur. Hic scripsit Atthida; hunc a duobus Melesagoris supra allatis diversum esse Antigoni docent verba, qui eum ita laudat: Ἀμελησαγόρας ὁ Ἀθηναῖος ὁ τὴν Ἀτθίδα συγγεγραφώς (frg. 1). — Quae cum ita sint, pro uno Melesagora, quem Muel-

[1]) Neumannus in libro p. 38 citato p. 42 suspicatur eum annales Samios scripsisse; cfr. Mueller. fr. h. Gr. IV, p. 653 et Stiehle, Die griech. Horographen (Phil. VIII) p. 399 sqq.

lerus agnoscit, tres arbitror esse ponendos, logographum Chalcedonium, vatem fabulosum Eleusinium, Atthidographum Atheniensem; et Muelleri disputationem, qua unum tantum Melesagoram fuisse demonstrare vult, respuo atque repudio[1]). — Ceterum quo in argumento versata sint Melesagorae nostri opera, prorsus ignotum est.

8. Transeo ad Damasten, quem Hellanico iuniorem fuisse et multa scripta composuisse Suidas aliique perhibent. Ac mihi videtur longius vixisse quam Herodotus et haec scripsisse: περὶ γονέων καὶ προγόνων τῶν εἰς Ἴλιον στρατευσαμένων βιβλία δύο, Ἐθνῶν κατάλογον καὶ πόλεων (vel Περίπλουν), Περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν, alia, quorum tituli traditi non sunt[2]). Hausit autem imprimis ex Hecataeo et Hellanico.

9. Postremo afferendus est Xenomedes Chius, cuius fragmenta, quae aetatem tulerunt, argumenti sunt mythologici; sed duo tantum exstant, quae certo ad eum licet referre. Nam tertium, quod praebet Muellerus, nullo pacto ei ascribi potest, quod si diligenter inspexeris, non dubito, quin futurum sit, ut mihi assentiaris[3]).

II.

Ex omnibus, quos modo recensui, logographis[4]) ne unum quidem consuluisse videtur Herodotus, quae res de Damaste pronuntiari potest confidentissime. Nam si Herodotus Hellanicum neque novit neque consuluit, id quod supra docuimus, num verisimile est huius discipulum (is vocatur Damastes a Suida s. v.) ei notum fuisse ac fontem? Similia cadunt in ceteros: Herodotum, qui logographis celeberrimis, Acusilao, Hecataeo, Xantho, Hellanico, Charone, Pherecyde non usus est fontibus, hunc quis est qui censeat e minoribus illis, ut ita dicam, et ignobilibus fructum

[1]) Cfr. ex. gr. illum locum, ubi conicit Melesagoram ideo Chalcedonium esse appellatum, quod ex Attica, ubi natus sit, Chalcedonem se contulerit, sicuti Metapontum se contulerit Aristeas Proconnesius. At ubinam Aristeas appellatur Metapontinus?

[2]) Titulus qui laudatur περὶ τῶν ἐν Ἑλλάδι γενομένων adhuc non liquet, quomodo sit emendandus. Cfr. Schaefer. l. a. p. 34.

[3]) Summa cum probabilitate ad Epimenidem quendam refertur, cuius nomen in Etym. Gud. restituendum est.

[4]) Creuzerus aliique eorem numero addunt etiam Menecratem Elaitam. Sed is multo post eos fuit, cfr. Muell. l. a. II, p. 342 frg. 3.

cepisse? Adde quod maximam partem res fabulosas tractabant et historias singularum vel urbium Graecarum vel regionum, quae patri historiae parum usui esse poterant.

D.

Conclusio.

Vidimus, ut omnium, quae adhuc disceptavimus, summam faciamus, Herodotum nisi duobus locis (II, 143 et VI, 137), ubi quae de Hecataeo tradat, ex hoc ipso hausisse videatur, nusquam logographis usum esse fontibus; quod docent cum operis eius indoles[1]) tum singulorum logographorum fragmenta cum eo comparata[2]). Quin multos eorum ne novisse quidem videtur, imprimis Xanthum Lydium et Hellanicum Lesbium[3]). Quapropter ex animo assentior Dahlmanno disceptationi suae hunc finem facienti (p. 135 sq.): „Herodot selber war von Grund aus der Bürge seines Werkes, dessen Urquell und Gestalter; die Mythik, in welcher seine Vorgänger ihr Verdienst begruben, mochte ihm nicht frommen, die rohe Historie derselben, dürr zwischen eingestreut, ihm nicht genügen; auch in der Geschichte hätte er gern selbst gesehen, gleichwie in den mancherlei Ländern, die sein helles, bedächtiges Auge durchspäht hatte“[4]).

---

[1]) v. p. 4—5.

[2]) v. p. 5—60.

[3]) Fortasse horum scripta eo tempore edita sunt, quo ipse in Italia versatus est; alios autem ideo non noverat, quia fama eorum omnino artis finibus inclusa erat et seriore demum aetate latius divulgata est. Cfr. quae hac de re commode dicit Rawlinsonius l. a. p. 34 sq.: The fame of such persons was often local; and the very knowledge of their writings may in early times have been confined within narrow limits. It was the doing of a later age — an age of book-collectors and antiquaries — to draw forth these authors from their obscurity, and invest them with an importance to which they had little claim, except as unread and ancient.

[4]) Eandem sententiam pronuntiavit etiam C. W. Nitzschius, qui vir doctissimus, etiamsi in rationem, quae intercedit inter Herodotum et logographos, accuratius non inquisivit, tamen, quo fuit ingenii acumine, rectissime vera perspexit. Cfr. eius commentationem, quae inscribitur „Ueber Herodots Quellen für die Geschichte der Perserkriege“, in Mus. Rh. XXVII, p. 233.

Corrigenda.

pag. 5, n. 3 pro 29 lege 15.

pag. 7, n. 3 pro 83, n. 7 lege 50, n. 2.

pag. 9, n. 7 pro 30 lege 16.

pag. 11, l. 8 pro „ἀναγράγει“ lege „ἀναγράφει.“

pag. 21, l. 17 pro „subditum“ lege „subditum vel certe magnam partem interpolatum.“

pag. 37, l. 23 pro „in primis“ lege „imprimis.“

Vita.

Bernhardus Heil natus sum Hersfeldiae pridie Idus Apriles anni MDCCCLXI patre Joanne, matre Catharina e gente Stemmler, quorum illum paucis ante mensibus obiisse doleo, hanc adhuc in vivis esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum primitiis in puerorum ludo imbutus primo unum per annum scholam frequentavi, in qua artes, quae ad vitae usum pertinent, tradebantur, tum anno MDCCCLXXI gymnasium patriae adii, cui tum Eysell, postea Duden, vir doctissimus idemque humanissimus, egregie praeerant. Unde maturitatis examine superato anno MDCCCLXXIX Marpurgum me contuli philologiae et historiae studio operam daturus. Ibi sex menses commoratus Lipsiam transgressus sum; qua ex urbe quinque spatiis semestribus praeterlapsis Marpurgum reversus aestate anni MDCCCLXXXIII superavi examen quod dicitur pro facultate docendi. Audivi autem viros illustrissimos Marpurgenses Bergmannum, Bormannum, Caesarem, Justium, Lenzium, Reinium, L. Schmidtium, Varrentrappium; Lipsienses Brugmannum, Curtium, Drobischium, Ecksteinium, Hahnium, Heinzium, Hildebrandum, Holzapfelium, Langium, Lipsium, Meyerum, Overbeckium, Ribbeckium, Strümpellium, Voigtium, Windischium. Praeterea duo per semestria Lipsii societatis antiquariae sodalis fui idemque per tempus seminarii historici Lipsiensis et postea seminarii historici Marpurgensis, quod regit Bormannus. Omnibus autem illis, quos venerabundus appellavi, viris doctissimis et illustrissimis, imprimis Bormanno, qui consilio et humanitate de me optime est meritus, gratias et nunc ago et semper habebo maximas.

Typis Eduardi Hoehlii Hersfeldensis.